

el dicho otorgante queyo el presente escriuano doy feee que conozco
dixo que non sauia escrebir lo firmo asu rruego baliendo por testigo
francisco de palacios yo francisco de palacios escriuano de su mages-
tad z del numero del dicho lugar que presente fui al dicho otorga-
miento juntamente con los dichos testigos z fize aqui este mio signo
que lleva en  testimonio de verdad = francisco de palacios escri-
uano ==.

ANTONIO MARTÍN LÁZARO.

III

UN FORMULARIO LATINO DE LA CANCILLERÍA REAL ARAGONESA (SIGLO XIV).

(Conclusión.) ¹

CCXXXIII.—*Cardinalibus [Super eodem: supplicatio ut cardinalis intercedat apud dominum Papam presentando ipsi litteram Regis et intercedendo pro negotio in ea contento].*

Paternitati vestre presentium tenore deferimus quod nos noviter sanctissimo domino Summo Pontifici post debitum reverentie titulum scribimus per hec verba: "Exigunt, pater sanctissime, etc." Verum, cum promotione[m] dicti Odardi ex causis premissis que ad id rationabiliter nos inducunt et quia nuncii nostri quos frequenter pro nostris negotiis ad curiam ipsam transmitimus de ipso in agendis habebunt sollicitum directorem intimis appetamus affectibus, et vchementer obtemus quod dictus dominus Papa super hoc nostris supplicationibus condescendat, idcirco amicitiam vestram affectuose rogamus quatenus honore nostri dictum velitis negotium promovere, presentando litteram quam super hoc dicto domino Pappe dirigimus, et aliter intercedendo sollicite pro premissis, ad quod debet potissime idem Summus Pontifex inclinari, cum numquam ut scimus ad nostram nec credimus quod alicujus ex progenitoribus nostris quisquam in tali officio sit receptus; erit hoc quippe nostris affectibus valde gratum et regratibimur vobis multum. Datum etc.

CCXXXIV.—[*Supplicatio pro parte Regis ad Papam ut eligat novum presidem cuiusdam monasterii propter dissensionem monachorum.*]

Iam beatitudini vestre per multiplices apices statum descripsimus monasterii Vallis digne, quod ob dissensionis seu questionis materiam du-

¹ La 1.^a, 2.^a y 3.^a parte fueron publicadas en los tomos VI, VII y IX del ANUARIO, correspondientes a 1929 (págs. 329-407), 1930 (págs. 442-500) y 1932 (páginas 334-374).

dum ortam inter unam partem monacorum monasterii antedicti qui religiosum virum fratrem Petrum de Cumbis cappellatum nostrum dilectum et aliam partem qui fratrem Bernardum Buxii ejusdem monasterii monachum elegerunt, que quidem questio per appellationis viam fuit apud Romanam Curiam devoluta² et ob anfractus litium et sumptus importabiles propterea³ subsequtos expositum extitit variis dispendiis et ruinis. Sane, pater sanctissime, cum vestra quodam modo res agatur in illo, tum quia per precelsum dominum Jacobum recordationis felicis Regem Aragonum avum nostrum in regno Valencie juxta mare ac prope frontariam sarracenorum fundatum extitit et dotatum, tum etiam quia vallis ipsa que miris fortaliciis est vallata, nisi per fideles nobis et intima devotione ferventes presides regeretur, posset inde, quod absit, toti regno Valencie irreparabile dispendium, inmitum opido ipsi monasterio provideri de preside competenti. Cum itaque, sicut accepimus, obice dicta litte, dictus frater Petrus monasterio preesse de jure nequeat antefato, nec dictus frater Bernardus, cuius aministratione propter causas alias varias et diversas, quas obmittimus hic inserere, propter intrinseca odia potioris et melioris partis monacorum dicti monasterii et rancores inextingibiles quos incurrit, prefatum monasterium ad demolitionem, grave scandalum et dissipassionem irreparabilem deveniret, cogitavimus illi fore de tertio providendum; quocirca vestre beatitudini humiliter supplicamus quatenus ipsi monasterio de religioso ffratre Guillelmo de Ferraria, monacho monasterii Sanctarum Crucum, nostro cappellano dilecto, viro utique scientia moribus et honestate predito et in spiritualibus provido et corporalibus circumspecto, dignemini provide ri, non obstantibus electionibus antefatis nec littibus inde secutis, nostri honoris obtentu et ipsius meritorum intuitu, cum ipso de vestre potestatis plenitudine dispensantes; scimus et enim dicti fratri Guillelmi aministratione prospicua, qui patienter sustinebit onus Dei et estus et supponit humeros ad labores, prefatum monasterium de preteritis dispendiis reparari et in futuris comodis multipliciter augmentari. Ceterum, ne dicti fratri Bernardi honoribus pretextu nostre supplicationis hujusmodi subtrahatur, acceptum nobis adveniet, si de vestre processerit beneplacito sanctitatis, eidem provideri de alio beneficio competenti. Almam personam etc.

CCXXXV.—*Domino Pappe es parte domini infantis Jacobi [in favore promotionis quorumdam clericorum familiarium ipsius].*

Quamvis, pater sanctissime, pro illis qui ad Dei servitium ascribi desiderant milicie clericali ut congruis officiis et beneficiis in domo domini provehantur liberaliter intercedam, pro eis tamen teneor effi-

² Desde et hasta subsequtos entre líneas.

³ Propterea.

caecius interponere partes meas qui astrictius studio devocationis et fidei
meis adhérerent obsequiis quibusque suffragatur tüberior affluencia me-
ritorum. Cum itaque ex causis predictis ad dilectos clericos et familia-
res nostros Bernardum Alamani, canonicum Valencie sub expectatione
prebende, et Guillelmum Boson diocesis Terrachonensis, tanquam scientia
predictos, honestate conspicuos et moribus circumpectos direximus
aciem mentis nostre, promotionem ipsorum vehementer affectans, et prop-
terea gerens fiduciam specialem de vestre munificencie largitate sin-
gulas petitiones pro eis vestre decreverim porrigi sanctitati quarum se-
ries inferius continetur, idcirco petitiones ipsas, si placet, benigne re-
cipiat et ad exauditionis gratiam favorabiliter introducat; nam hoc,
pater sanctissime, meis occurret affectibus valde gratum et vobis tenebor
obnixius ad actiones supplices gratiarum. Almam personam etc.

*CCXXXVI.—Domino infanti ex parte domini Pape [ut intercedat pro
pace. inter Reges Aragonum et Maioricarum].*

(Attendentes honoribus et comodis carissimorum in Christo filio-
rum nostrorum Petri Aragonum et Jacobi Maioricarum Regum illus-
trum quam plurimum expedire quod inter eos sanguinis et affinitatis
nexu de propinquo coniunctos pacis et caritatis unitas invicem vigeatur,
rancorum et odiorum quomodolibet vepribus extirpati, rationes et
allegationes, jura et fattiquas super hiis, ex quibus est inter eos pro-
curante hoste humani generis dissensio suscitata, coram venerabili
fratre nostro Armando archiepiscopo Aquenensi, quem propterea des-
tinaveramus ad partes illas, propositi fuerunt ⁴ Reges predicti et uobis
transmiscent, per ipsum videri et examinari ad illum finem facimus
diligenter, ut, viso et intellecto quis ipsorum aut nullum seu debilius jus
habeat, eis scribere super hoc ac suadere quod ad pacem se inclinent et
reducent super hoc certius et utilius valeamus. Sed quia per guerrarum
fremitus et invasiones et commotiones hostiles, si quod absit inter dictos
Reges ingruerent, turbari vel saltem impediri posset super hiis fruc-
tus pacis ad quam desideriis optamus intensis, eosdem Reges per nostras
rogamus litteras et hortamur ut, interim, vel saltem usque instans fes-
tum resurrectionis dominice vel alium terminum competentem inffra
quem possint rationes et allegationes prediche videri et examinari per-
fecte, ab eisdem guerris, invasionibus et commotionibus cessent penitus
et desistant; quocirca nobilitatem tuam rogamus attente quatenus, quam-
sit ac comoda honoribus et utilis utrique Regi ac eorum subditis con-
cordia unitatis et pacis, circa hoc ut ad effectum deduci auctore domi-
no valeant felicem et votivum sic sedule tue partes sollicitudinis in-
terponas quod tue devocationis prudentia inde possit et debeat merito co-
mendari. Datum Aviniione etc.

⁴ Por proposuerunt.

CCXXXVII.—[*Responsiva ex parte infantis Jacobi ad litteram domini Pappe, super inienda pace inter Reges Aragonum et Maioricarum.*] ⁵

Reverenter, ut decuit, recepi noviter pie pater, vestre beatitudinis litteras inter cetera continentibus quod, cum illustres dominum Petrum Aragonum germanum meum et Jacobum Maioricarum Reges eorumque domos regias atque regna paterne dilectionis et caritatis affectibus vestra clementia prosequatur, displicenter auditio quod pacis hostis zizanie seminator inter ipsos spargere discordiarum semina satagebat, beatitudo vestra, desideranter affectans ut illi quos nexus sanguinis et affinitatis nectitur invioem manerent inseparabiliter animorum et voluntatum ydemitate coniuncti, venerabilem Armandum archiepiscopum Aque-nensem a parte sedis nuncium ad partes istas providit specialiter destinandum, quocirca sanctitas vestra me instantius ortabatur ut, considerantur ⁶ attentis variis comodis que ipsorum Regum concordia re-promittit et dispendiosis periculis que ipsorum, quod absit, dissensio comminatur, circa reformandam et confovendam ipsam concordiam procurarem efficaciter interponere partes meas memorato archiepiscopo nichilominus super hiis assistendo super hiis auxiliis, consiliis et favoribus opportunis. Quibus humiliter vestre respondere ⁷ sanctitati quod, quia dictus Rex Maioricarum circa conventiones et pacta inter progeniatores utriusque Regum ipsorum et meos inita et in infeudatione regni Maioricarum, comitatum Rossilionis et Ceritamie aliarumque terrarum que habet Rex ipse in partibus cismarinis, excepto dumtaxat loco Montis pessulani quem ab illustri Rege Ffrancorum consanguineo nostro carissimo tenet in feudum, inserta, citatus legitime per dictum dominum Regem Aragonum eo quia monetam aliam preter monetam Barchinone in ipsis comitatibus currere faciebat et cudi faciebat patenter et publice monetam novam in villa Perpiniani intra dictum comitatum Rossilionis et principatum nostrum Cathalonie consistente, nec non conflari faciebat seu fundi monetam nostram Barchinone et argenti, non comparuit personaliter termino sibi prefixo ac mitere pretermisit aliquem responsalem, dictus dominus Rex Aragonum reputavit atque decretivit dictum Regen Maioricarum, exigente justicia, contumacem, declarans ut iudex et ordinarius suus quod contra ipsum et bona sua tanquam contra contumacem et firmam juris sive directum facere recusantem juxta usaticos Barchinone procedere poterat ad occupationem realem feudorum ipsorum, nullo processu alio precedente, per ipsos usaticos et jura patrie quibus subest: adveniente autem dicto Rege Maioricarum sub guidatico et conductu dicti domini Regis Aragonum

⁵ Esta fórmula es una repetición literal de la núm. CCXXXI.

⁶ Consideranter.

⁷ Por respondeo.

ad civitatem Barchinone, ad quam diu ante archiepiscopus jam dictus pervonerant⁸, ego qui ex necibus⁹ hinc inde vigentibus gero molestam plurimum et exosam discordiam supradictam, votis optans ardentibus eam prorsus evellere dictosque Reges et suos ad concordie semitas revocare, cum dicto archiepiscopo et aliis probis mediatoribus ipsam concordiam diligentibus inter illos varios cum dicto Rege Maioricarum tractatus subire temptavi proposse, ut novit altissimus, instans sepe ac sepius ut dictus Rex Maioricarum se rationi subiceret et dicto domino Regi Aragonum recognosceret ea que vigore dictarum conventionum et virtute juramenti et homagii super hiis per eum ter prestiti facere tenebatur; set quia dictus Maioricarum Rex, exortationes nostras et aliorum abaudiens et salubria monita archiepiscopi prelibati contemptnens, nedum firmam juris sive directum, prout tenebatur, in posse dicti Regis Aragonum facere recusavit, set, quod inauditum fuit a tempore dicte infeudationis primeve in prioribus et antiquis et horrendum discutitur in modernis, predicta tenere in feudum a dicto Rege Aragonum verbo, litteris et instrumento publico denegavit super tractatibus ipsis persistens in terminis valde distantibus et remotis, cum ipse, pater sanctissime, locum noluerit dare concordie supradicte, non potui, de quo gravem concepi ac gero in corde molestiam, ad effectum perducere quod obtavi. Igitur placeat et dignetur sanctitas vestra me super hoc habere rationabiliter excusatum. Almam personam etc.

CCXXXVIII.—[*Supplicatio ex parte Regis facta domino Pape pro priorissa et moniali monasterii de Sixena.*]

Piissime pater: Si singulorum nostrorum fidelium servitorum negotia tenemur favoribus prosequi gratiosis, quanto magis ea que propria reputare debemus, habentes respectum ad vinculum indissoluble quo colligimur personis pro quibus apud vestram sanctitatem providimus porrigere scripta nostra, astringimur liberaliter promovere. Hinc, pater sanctissime, quod cum pro quibusdam negociis statum [tangentibus] inclitarum et religiosarum Blanche, priorisse, et Marie, monialis monasterii de Sixena, amicarum nostrarum carissimarum, quas favore regio fovere tenemur, venerabilem in Christo patrem ffratrem Michaelim Seuellensem episcopum qui apud vestram sanctitatem in presentiarum accedit duxerimus informandum, et ei quedam pro nostra parte sanctitati vestre oretenus referenda super predictis duxerimus committenda, ideo eidem sanctitati supplicamus humiliter et devote quatenus, credendo dicto episcopo his que idem episcopus super predictis negotiis eidem sanctitati retulerit viva voce, dignetur eadem sanctitas super eis que ad eadem popos-

⁸ Por pervenerat.

⁹ Nexibus.

cerit se dicto episcopo exhibere favorabilem seu etiam gratiosam; hec itaque, pater piissime, tenebimus ad gratiam specialem. Almam personam etc.

CCXXXIX.—[*Supplicatio in favore cuiusdam fratris ordinis Predicotorum facta per Regem domino Pappe.*]

Sanctissime pater: Vestre sanctitati notum facimus per presentes nostris auribus quorumdam assertione noviter fuisse deductum quod per non nullos dilecti et religiosi ffratris Bertholomei Ferrar de ordine Predicatorum emulos, quos non credimus nostri honoris aut comodi fore aliquatenus zelatores, eo quia dictus ffrater Bartholomeus, compatiendo subditis nostris qui sub incliti Jacobi olim Regis Maioricarum tunc nobis rebellis tirannico detinebantur districtu, nostram justitiam, quod Deo est et hominibus manifesta, fuit quodammodo prossequitus fideliter, legaliter atque juste, absque tamem sue conscientie iesione et sine cuiusquam irregularitatis incursu, contra eundem ffratrem Bertholomeum quodam¹⁰, semper salva vestre sanctitatis reverentia, suggestione fallaci et contra facti veritatem eadem vestra sanctitas extitit informata. Sane, piissime pater, cum super hiis que nostrum honorem tangere dinoscuntur, dicti ffratris Bertholomei meritis ac serviciis per ipsum nobis impensis et que impendere non desistit diligenter attentis, quedam venerabili in Christo patri ffratri Michaeli Seuellensi episcopo vestre sanctitati, pro parte nostra viva vocis oraculo referenda duxerimus comitenda, idcirco eidem sanctitati humiliter supplicamus quatenus hiis que dictus episcopus super predictis eidem sanctitati retulerit viva voce dignetur eadem sanctitas fidem indubitabilem adhibere, ac habendo dictum ffratrem Bertholomeum de suggestis contra ipsum totaliter excusatum, placeat sanctitati eidem se exhibere dicto episcopo super hiis que pro parte nostre pro predictis potierit¹¹ favorabilem seu etiam liberalem. Almam personam etc.

CCXL.—[*Regi Maioricarum pro remotione impedimenti ad percipientes quosdam redditus in suo regno.*]

¹² Serenissime princeps et domine, apud vestram sublimitatem regiam dubium, ut credimus, non existit quod omnia in pace concrescant et dum inter magnates seculi abundantia pacis viget, minores ipsius abundantiae participes quietis non relinquentur expertes; sed et illud non ignoratur quod pro incursus¹³ discriminum que de discordiarum et

¹⁰ Quadam.

¹¹ Petierit.

¹² Marginalmente se lee: a la izquierda de la 1.a linea, *non*, y a la derecha de la misma, *debet ponit in registro*.

¹³ Incursu.

guerrarum tempestate prodeunt subiciuntur omnia vastitati, corpori quies¹⁴ subtrahitur, mens inquis sollicitudinibus occupatur et quo magis se adversantium consideratio ingerit, eo plus leditur caritas, crescunt rancores, nutriuntur odia, intenditur insidiis et anime periculis exponuntur. Ideo, princeps inclite, dum hec in nostre mentis archano sepe revolvimus, tunc cordialius affectamus quod inter vos et dominum Aragonum Regem illustrem, qui, ut noscis, vobis est precipua consanguinitate et affinitate coniunctus, pacis et tranquillitatis pulcritudo vigeret, ad quam excellentia regia modis et viis quibus poterit se inclinare dignetur instanter quesumus et rogamus; et, si nos circa id in aliquo valleamus prodesse, signifficet hoc nobis vestra regia celsitudo, nam ad ea que facere poterimus libenter geremus per in operis efficacia¹⁵ aperitos oculos et cor promptum. Serenissime princeps, cum nos ratione prepositure nostre Terrachonensis tam in regno Maioricarum quam in insula de Vicia et quibusdam aliis terris vestris aliquos redditus habeamus et intellexerimus quod nostri curatores illos nequeunt percipere, obstante impedimento per gentes vestras ad mandatum vestrum regium in illis apposito, nec videamus quod id factum ob aliam causam existat, nisi quia dicta prepositura situata est principaliter in Aragonie regno, hinc est quod regiam excellenciam rogamus ex corde quatenus impedimentum predictum sic amovere placeat ac amoveri mandare a redditibus memoratis, quod illis pro statu nostro manutenendo libere gaudere possimus, et maxime cum ex parte vestra nil obstet propter quod debuerit aut debeat impedimentum apponi predictum in redditibus supradictis. Et, si regie sublimitati possimus in aliquibus complacere, rescribat nobis eadem sublimitas confidenter quam dirigat in suis beneplacitis Rex eternus. Scriptum etc.

CCXLI.—[Domino Pappe ex parte Regis Anglie pro defensione juris patronatus et pro alleviatione crnerum et gravaminum sedis apostolice.]¹⁶

Sanctissimi in Christo patri et domino domino Clementi, digna Dei providentia sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Summo Pontifici, Eduardus ejusdem gratia Rex Ffrancie et Anglie et dominus Hibernie devota pedum oscula beatorum. Pensata sedis apostolice clementia, que de fomento Christi fidelium et animarum salute solot¹⁷ esse summe sollicita non querens que sua sunt se¹⁸ que sunt potius Jhesu

¹⁴ En el manuscrito *quies*; pero fácilmente puede reducirse su lectura a la de *quies*.

¹⁵ Por *efficacia* o *efficaciam*.

¹⁶ Marginalmente se lee: "Etiam debet poni [in registro]."

¹⁷ *Soleat*.

¹⁸ *Sed*.

Christi, tenet probabiliter nostra fiducia quod vestra maturitas in specula sollicitudinis apostolice preclaritate meritorum et scientie divinitus et ea que decus Ecclesie et devotione¹⁹ plebis atenuant ac animarum et rerum pericula comminantur misericorditer reformabunt²⁰. In publicum autem non ambigimus notitiam pervenisse qualiter ab exordio nascentis Ecclesie in regno nostro Anglie progenitorum nostrorum regum Anglie et procerum ac fidelium dicti regni digne recolenda prioritas propter divini cultus augmentum construxit ecclesias, et ipsas amplis dotavit possessionibus et privilegiis communivit possessiones, in eis ministros idoneos qui fidem catholicam in subiectis ibi linguis et populis feliciter propagarunt, per quam curam et sollicitudinem vineam domini Sabahot in cultu et fructu ibidem mirifice fecundavit; sed, quod dolendum est, ipsius vinee propagines degenerant in lambruscas et exterminant eam apri de silva singulares que fere depascunt eam, dum per impositions et provisiones sedis apostolice, que solito gravius invalescunt ipsum peculum, contra piam voluntatem et ordinationem donatorum manus occupant indignorum et presertim exterorum et ejus dignitates et beneficia personis conferuntur alienigenis plerumque nobis suspectis que non resident in dictis beneficiis et vultus eis solummodo²¹ temporalia lucra querunt; et sic diminuitur Christi cultus, aminarum cura necligitur, subtrahitur hospitalitas, ecclesiarum jura depereunt, ruunt hedifficia clericorum, atenuatur devotio populi et clerici dicti regni, viri magne literature et conversationis honeste, qui curam animarum possent salubriter peragere et forent pro nostris publicis consiliis opportunis, studium desereunt propter promotionis congrue spem ablatam, que divine scimus non esse placita voluntati, quinimo in grave nostrum et fidelium nostrorum versatur preiudicium et inextimabile periculum, nisi super hoc citius et consultius caveamus, nam jus patronus²² quod nos et fideles nostri in talibus beneficiis habemus ener-vatur, curia nostra in qua dumtaxat cause super jure patronatus dictatorum beneficiorum tractari deberent deluditur et sic iura²³ corone nostre regie tam probose²⁴ quam dampnose depereunt et regni thesaurus ad extraneos, ne dicamus nostros malivolos, asportatur subtili forsitan conjectura ut regni Anglie, depresso sacerdocio et ejus exhausto thesauro, regnum ipsum reddatur debilis in adversis. Que omnia et singula et alia que ex premissis sequuntur incomoda fuerunt nuper coram nobis in nostro parlamento generali per comunitatem dicti regni palam exposita unanimi et ferventi petitione subiuncta ut predictis dispendiis que dicte comuni-

19 *Devotionem.*

20 *Reformabit.*

21 *Columodo en el manuscrito.*

22 *Patronatus.*

23 Se lee *cura*, pero debe ser *iura*.

24 *Probrose.*

tati videntur intolerabilia celeriter occurramus. Nos autem, anglicane depressionem ecclesie et exheredationem corone regie ac mala predicta que dissimulata adicerent verissimiliter graviora patulo cernentes intuitu, ad vos successorem apostolorum principis, qui ad depascendum non ad tondendum oves dominicas ac confirmandum non ad deprimendum fratres suos mandatum a Christo suscepit, ista defferimus, votivis affectibus supplicantibus quatenus, premissis debite ponderatis ac considerato quod creandi sunt de vico populi magistratus et juxta dictum prophete sunt de eodem loco populi vinitores quod per beatos apostolos legitur esse factum dum gentibus viros lingarum suarum habentes noticiam transmiserunt, pensata etiam devotionis plenitudine qua dominus nostra regia et cleris et populus dicti regni perstiterunt hactenus in obedientia dicte sedis propter quod non haberet paternus affectus eis onera et gravamina cumulare, velitis ut pater filii thesaurizans alleviare dictarum impreffinium²⁵ et provisionum ac honerum jam per sedem apostolicam invalescentium gravitatem permitentes ulterius ut patroni patronatus sui solacium non amittant ecclesieque cathedrales et alie dicti regni liberas electiones et earum effectum habeant, quas quidem ecclesias dicti progenitores nostri dudum in singulis vacationibus earumdem personis idoneis jure suo regio libere conferebant, et postmodum ad rogatum et instantiam dicte sedis sub certis modis et conditionibus concesserunt quod electiones fierent in dictis ecclesiis per capitula earumdem, que concessio fuit per sedem apostolicam ex certa scientia confirmata; set quia contra formam concessionis et confirmationis predictarum dicta sedes per retentiones et provisiones suas dictis capitulis electiones adimit supradictas et nobis jus et prerogativa que juxta formam dictae concessionis nobis competunt in hac parte, propter quod juxta legem regni nostri, ex quo lex posita in concessione non servatur regni statutum revertitur in primevum, super premissis itaque dignetur quesumus vestra benignitas ad honorem Dei et salutem animarum, nec non ad tollenda scandala et prejudicia prelibata, festinum et salubre tempamentum apponere et nos et nostri qui personam vestram sanctissimam et sanctam Romanam Ecclesiam reverei cupimus, ut debemus, cessantibus dictis malis intolerabilibus, in paterne vestre dilectionis dulcedine quiescamus revirescatque nostra devotio per ostensam nobis vestre moderationis clementia[m] recreata. Conservet vos Altissimus ad regimen Ecclesie sue sancte per tempora prospera et longeva. Datum apud Viscon, die²⁶ Septembbris anno regni nostri Ffrancie IIII^o, regni vero Anglie XVIII^o, anno domini millesimo CCC^o xl^o III^o.

²⁵ Por *impressionum* o *impositionum*.

²⁶ En blanco la fecha del día en el manuscrito.

CCXLII.—*Domino Pappe ex parte domini Regis [in favore promotionis cuiusdam clerici].*

Dum ex prospicuis juventutis initiiis dilecti clerici et de cappella illustris domine Elionore Regne Aragonum, conjugis nostre carissime, Bernardi Adriani aperte colligitur quod in domo domini, ut indeoles indicat et competens literarum scientia patenter insinuat, fructus producet ubenes per quos reddetur Altissimo placidus et hominibus gratiosus, dignum, pater sanctissime, ducimus ut pro ejus promotione, quam vehementer appetimus, vestre beatitudini supplicemus. Cum itaque tam dicti Bernardi Adriani, germani ejusdem et aliorum curialium nostrorum eis sanguinis vinculo coniunctorum accepta nobis impensa servicia et que jugiter impendere non desistunt multipliciter mereantur ut dictum Bernardum qui in dicta cappella divinis laudibus se ascripsit ad beneficia congrua nostris provehi intercessionibus procuremus, et propterea petitionem subscriptam pro eo vestre clementie decreverimus porrigendam, idcirco beatitudini vestre supplicamus humiliter et ex corde quatenus honore nostri, qui hoc pro speciali munere postulamus, petitio nem ipsam dignemini, pie pater, libenter admitere ipsamque ex solita vestre munificentie largitate favorabiliter exaudire jam inter ceteros pro quibus vestre clementie nostrarum supplicationum instantie foris tam dirigentur: hoc nobis occurret acceptius et pro inde gratiarum supplices actiones vestre clementie referemus. Almam personam etc. Datum etc.

CCXLIII.—*Privilegium [concedendo cuidam domestico regio cenam, morabetinum seu monetaticum ac merum et mixtum imperium in quodam loco Valencie].*

Nos Petrus, Dei gratia Rex Aragonum etc. Dum incomoda varia graviaque dispendia, que vos dilectus domesticus noster P.... natus venerabilis et homines et loca vestra in regno Valencie constituta pro nobis et nostris servitiis pertulisti, recto rationis indagini perscrutatur, dignum et debitum arbitramur ut per congrue compensationis subsidium sustenta per vos hujusmodi dispendiosa gravamina releventur. Volentes itaque vobis propterea aliqualiter ad presens retribucionis premio respondere, cum presenti carta nostra damus et concedimus vobis dicto Petro.. et unico heredi vestro, quem elegeritis, ad vitam scilicet utriusque, cenam, morabetinum seu monetaticum ac merum et mixtum imperium ad nos spectantia et que habemus et habere debemus in loco nostro... in dicto regno Valencie consistente, ita quod vos et unicus heres vester, quem volueritis et elegeritis, dum vos et ille vitam duxeritis in humanis, per vos et quos ad hoc ordinaveritis seu

volueritis, ex nunc absque nostris literis seu mandatis, exigatis, colligatis, habeatis et percipiatis cenam, morabetinum seu monetaticum que nos habemus et habere debemus in dicto loco de antea et etiam merum et mixtum imperium ad nos spectans in ipso loco et ejus terminis seu pertinenciis et omne jus et exercitium ejusdem, prout melius et plenius nobis competit et competere potest in ipso loco et ejus terminis, ita quod delinquentes ibidem possitis ultimo supplicio, vel exilio, mutilatione membra²⁷ seu pena sanguinis, prout demerita eorum exegerint, plectere et punire; possitis etiam furchas seu alia patibula in terminis dicti loci ponere et rigere, et omnia alia facere ac etiam exercere que ad ipsum imperium et ejus exercitium noscuntur quomodolibet pertinere. Mandamus itaque hujus serie hominibus dicti loci quod de cena, morabetino seu monetatico vobis et unico heredi vestro quamdiu vixeritis successiue et de mero et mixto imperio ac ejus juribus ex nunc respondeant sicut nobis. Mandamus insuper procuratori nostro generali ejusque vices gerentibus, nec non justitiis, baiulis ac universis aliis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod presentem donationem et concessionem nostram firmam habeant et observent et ab hominibus faciant inviolabiliter observari et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

CCXLIV.—*Littera missa domino Regi per Magistrum Rodi super quodam negotio.*

Serenissime ac excellentissime princeps et domine precarissime, devota recomendatione premissa. Cum plerumque²⁸ contingat ut, veritate in relativis pretermissa, impressio falsa inseritur animis auditorum, exhibendum? ²⁹ fore vidimus Magestati vestre ut sub scripto infelici negotio, nostram mentem et animum multiplicitis doloris aculeo perturbanti, qualiter se habuit nostris veriloquis pandere puram et simplicem veritatem, ne forte, informatione mendacii vestro inde auditui presentata, conceptum inde veritati dissonum regius animus apprehendat. Hinc est quod, nobis animi nostri proceribus vias omnimas voluntarie exquirentibus quibus Fferdinandum de Aragonia, pridem ordinis nostri fratrem per vestros regios apices nobis speciali efficacia commendatum, cum honore et gratia ad vos et partes ipsas remittere valeremus ob vestre serenitatis respectum, cum aliter apud nos culpabilis haberetur in multis, ex quibus non reportare gratiam meruerat sed penam, die XIII^a novem-

²⁷ En el manuscrito, *menderri* o *memderri*.

²⁸ De lectura dudosa: parece enmendada. Teniendo en cuenta esto, pude reducirse a *plerumque*.

²⁹ En el manuscrito parece decir *exim dicens*; pero creo que se trata de una errata del copista por *exhibendum* o *exhinc dicendum*.

bris primo preteriti, inter ipsum Fferdinandum et fratres Albertum... et Martinum... quos secum in socios duxerat apud Rodum dissensione suborta, sic Satanás introivit in cor dicti Fferdinandi quod Fferdinandus ipse nominatum fratrem Martinum protinus interfecit et dictum fratrem Albertum in capite et brachio adeo graviter vulneravit quod potius mortuus quam vivus credebatur, quamquam sit per Dei gratiam citer mortis periculum presencialiter constitutus, propter quod dictum Fferdinandum, mortem dicti fratri Martini et vulnera jamdicti fratri Arnaldi in presentia ... et ... ore proprio profitentem, secundum nostrorum statutorum seriem duximus per justitiam domus vestre. Datum etc.

CCXLV.—[*Supplicatio ad Regem facta per fratres Predicatores.*]

Serenissimo etc., tales fratres Predicatores etc., obsequiosam in omnibus voluntatem cum reverentia debita promptissimi famulatus. Regie magnificentie copia liberalis sui regni latissimi finibus non contenta se ad remotiores dilatat suis consuetis et opportunis benedictionibus ut secundum suum nostri magnificum excedantur preconii sui fama. Ecce, potentissime domine, juxta sapientie consilium, pietatis opera mane et vespere seminantes, ea que³⁰ premium mercedis inefficierenter metetis que indesinenter in sterilibus agris pauperum dispersistis, sicut olim fecistis et facitis, capitulis generalibus et provincialibus vestra beneficia manu largissima ministratis, sustentantes eos ibidem ut habeatis fratres totius ordinis adjutores. Cum in conventu nostro isto anno capitulum provinciale celebrandum in .t. mense et in .t.. festis per majores nostre provincie sit mandatum, ad quod fratres multi de diversis partibus sint venturi quibus non possemus commode ministrare sine vestro adiutorio et auxilio, idcirco ad vos tanquam ad fontem clementie, cuius non deficiunt aque et flumina gratiarum, recurrimus quatenus dignemini intuitu Dei et beati Dominici patris nostri vestris consuetis beneficiis collegium provinciale multarum bonarum personarum misericorditer visitare, quia vestra pietas que ad omnia valet promissionem vobis offerret presentis vite pariter et future, fulget exemplo, volat fama, post mortem vivit, non deserit morientem, in thesauros eternos per manus pauperum deportata sanctos viros statuit hic amicos suos in perpetua tabernacula recepturos. Deus autem qui incepit in vobis talia facere illo perficiat stabili perseverantia sancto semper proposito comitante, stabiliet vobis regnum in pace et cum bono terrarum regimine habebitis hic fratres totius provincie fideles et propitiis adjutores, qui pro vobis preces offerunt omnium creatori ut, terreni regni feliciter ministratis negotiis, post hujus vite transitum conduceat felicius ad eternam. Valeat vestra celsissima magnificentia per

30 Creo sobre la palabra que.

multa tempora longiora que nos suos humiles et devotos habeat in sui gratia comendatos. Datum etc.

CCXLVI.—*Carta ffranquitatis captive.*

Nos Petrus, Dei gratia Rex Aragonum etc., volentes te Talem, filiam Talis de la Porciola, sarraceni civitatis Tirasone, captivam nostram, gratia prosequi ad hoc ut, si per spiritus sancti gratiam ad babtismatis ffontem fueris evocata ad quem ut asseris intima devotione afueris, tanto ad assumendum sancti babtissimi regenerationis levacrum: ferventius animeris quanto ex nostre munificentie largitate a captivitatis et servitutis jugo senseris te immunem, idcirco tenore presentis te dictam Talem a dicte captivitatis servitute de speciali gratia laxandam duicimus et perpetuis temporibus absolvendam, sic quod amodo, quandcumque volueritis, possis contrahere et testari et alia que persona quandcumque libera et sui juris facere potest et licitum existit eidem, quoniam nos absolventes te ab omni servitute et sarcina captivitatis predicte hujus serie te restituimus ex nostre regie potestatis p[ro]l[icitu]r enitidine pristine libertati. Mandantes per hac eandem universis et singulis officiis nostris vel eorum locatenentibus, presentibus et futuris, quod hujusmodi libertatis gratiam tibi observent et faciant observari et contra ipsam non veniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

CCXLVII.—[*Donatio in feudum castrorum et locorum de Elchio et Criveleny facta per dominum Regem infanti Martino.*]

Nos Petrus Dei gratia etc. Ad laudem et gloriam domini nostri Jhesu Christi qui sua nos bonitate mirifica gaudere permisit copiosa propagine quam regalis prosapie gloria fecunditas nobis contulit, unde regium nomen nostrum protenditur nostrique regiminis solium feliciter roboratur, erga vos, carissimum nobis filium inclitum infantem Martino, regie munificentie dexteram extenderes, ac cupientes vos in primordialibus vestris hauspiciis vestreque infancie initio florido premunire aliquali civili potentia, quem Rex Regum potentem edidit, alti sanguinis quo trahitis originem sublimitate prospecta, tenore presentis carte nostre firmiter in cunctis temporibus valiture, gratis et ex certa scientia motu nostro proprio per nos et nostros heredes et successores damus pure et perfecte donationis et irrevocabilis inter vivos sub retentionibus et conditionibus infrascriptis vobis dicto infanti t., filio nostro dulcissimo, in feudum honoratum, castra et loca de Elchio et de Criveleny in regno Valencie situata cum ipsorum fortaliciis et appendiciis et cum terminis et pertinenciis universis et cum hominibus et fe-

minis christianis, sarracenis et judeis inibi habitantibus et habitatibus etc.

CCXLVIII.—[*Cuidam cardinali. Pro intercessione in favore littere rogatorie domini Regis Petri apud dominum Papam super ingressu .. in .. ordinem.*]

Reverendo in Christo patri domino Nicholao, divina providentia tituli sancti Sixti presbitero cardinali, speciali amico nostro, Petrus Dei gratia Rex etc., salutem et honoris augmentum. Significamus paternitati vestre nos domino Pape post asuete reverentie titulum scribere sub hac forma: “Beatissime pater: Cum dudum fratri Ffrancisco Berthoni de ordine fratrum Minorum, naturali nostro, aliquae asperitates per maiores sui ordinis inferentur, ut dicit, tam juve[ni]lis motus, tardus provisor utilium, quam primi persecutoris dolosa suggestio ipsum fratrem sic in laqueum impatiencie et vicium inobedientie seduxerunt, quod ipse frater, relicto habitu et sui ordinis honestate neglecta, per mundum vagabundus multis annis incessit secularibus actibus se immiscens; nunc autem, effectus estate maturior et ad sue anime salutem amelans, desiderat alium religionis ingredi ordinem et in illo divino sufulitus gratia domino famulari, quapropter, cum pater dicti fratr[is] Ffrancisci noster existeret specialis servitor obtemusque ut idem frater, dimissa via erronea per quam incessit diutius improvide et incedit, ad viam reducatur salutis, vestre clementie supplicamus quatenus juxta petitionem super hoc ex parte nostra vestre beatitudini porrigendam dignetur eadem beatitudo votis dicti fratr[is] misericorditer providere. Almam personam etc. Datum ut infra.” Unde, cum de paternitate vestra in hiis et aliis nobis nostrisque naturalibus acomodis spem geramus facilem, eandem paternitatem affectuose rogamus quatenus nostri honoris respectu super obtentu premissorum esse velitis sedulus intercessor et regraciabimur multum vobis.

CCXLIX.—[*Supplicatio ad dominum Papam pro quodam presbitero.*]

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Inno-
cencio, divina providencia sacrosante Romane et universalis Ecclesie
Summo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum etc., ejus humilis
filius, pedum oscula beatorum. Sanctissime pater, pro dilecto nostro
Bernardo minorise presbitero, quem laudabilia merita recomendant.
vestre sanctitati supplicationem subscriptam providimus dirigendam, sup-
plicantibus eidem sanctitati quatenus supplicationem eandem dignetur
propicius admitere et ad exauditionis gratiam introire. Almam per-
sonam personam vestram conservare dignetur Altissimus ad sue sancte
Ecclesie regimen per tempora longiora. Datum etc.

CCL.—[*Littera domino Pape pro confirmatione collationis et provisionis ecclesie parrochialis.*]

Supplicat sanctitati vestre devotus et humilis filius vester Petrus Rex Aragonum quatenus, sibi in persona dilecti sui Bernardi Minorise presbiteri specialem gratiam facientes, quod cum ipse presbiter dudum ecclesiam perrochialem sancte Columbe de Gramaneto, Barchinonensis diocesis, per mortem Bartholomei Cathalani ultimi rectoris ejusdem qui in partibus diem suum clausit extreum tunc de jure et de facto vaccantem, alias sibi debitam virtute quarumdam literarum vestre sanctitatis, acceptaverit, etsi de ea petierit et obtinuerit provideri et in ejus corporalem possessionem inductus fuerit eamque teneat et possideat pacifice et quiete, et dubitet ne ante dicti Bartholomei obitum dicta ecclesia foret collationi sedis apostolice generaliter vel specialiter reservata, dictas collationem et provisionem dignemini ex certa scientia confirmare, vel in casu reservationis hujusmodi eidem presbitero de ipsa ecclesia cum omnibus juribus et pertinenciis suis de novo misericorditer providere cum omnibus non obstantibus et clausulis opportunitate ac executoriis.

Et quod sine alia transeat leccione.

CCLI.—[*Procuratio Cathalonie.*]

Nos Petrus etc., de industria fide et legalitate vestri nobilis t. plene confisi, vos tanquam ab experto ad hoc sufficientem et idoneum reputantes ad regendum pro nobis procuracionis Cathalonie officium cum presenti ducimus comitendum, cum hac eadem vobis dicte procuracionis officium comitentes tenendum et regendum per vos bene et legaliter, dum vixeritis, cuicunque jus et justitiam ministrando, dantes et concedentes vobis plenariam facultatem hujusmodi nostre comissionis pretetu nomine nostro jurisdictionem omnimodam exercendi et omnia alia et singula faciendi que ad dictum noscuntur procuracionis officium pertinere et prout per alios qui dictum hucusque rexerunt officium est fieri usitatum; volentes et vobis etiam concedentes quod habeatis et recipiatis pro vestri salario et labore anno quolibet quindecim mille solidos barchinonenses. Mandantes universis et singulis officialibus nostris comitibus, vicecomitibus, baronibus, militibus, civibus et burgensibus et universitatibus civitatum et villarum, nec non feudatariis et subditis nostris quibuscumque infra Cathaloniam comorantibus, presentibus et futuris, quod vos, dum vixeritis, pro nostro procuratore in Cathalonia habeant et teneant vobisque cum exercitibus et feudorum serviciis et aliter pareant, respondeant et obedient mandataque vestra exequantur in omnibus que quomodolibet pertinere noscuntur ad procuracionis officium antedictum: In cuius rei testimonium etc.

CCLII.—[*Mandatum Regis super bannitis vel a pace et treuga ejectis.*]

Petrus etc., dilectis et fidelibus universis et singulis officialibus nostris vel eorum locamentibus, qui nunc sunt vel erunt pro tempore, presentes literas inspecturis ³⁰, salutem et dilectionem. Dudum vobis mandatum nostrum literatorie direximus sub hac forma: "Petrus etc., dilectis et fidelibus etc. Dum impunitas scelerum per campum licence discurrit effrenis, claustra juris infringit aditum injuriis ministrando et per consequens ipsa impunitas fit penalis reservando puniendos penis majoribus et per impunitate transgressionis exemplar blandiendo aliis ad ofensam. Sane, nostris auribus noviter est deductum quod ³¹, licet criminosi aliqui per aliquem ex vobis seu predecessorum vestrorum banniti fuerint vel a pace et treuga ejecti, per alios oficiales forsitan ignaros de hujusmodi bannimento vel enantamento aut illud ex quo inde cerciorati non sunt volentes non sine reprehensionis nota sub connivencia preterire, criminosos hujusmodi bannitos vel a pace et treuga ejectos receptare non desinunt, vel saltem non curant pro talibus evitare et contra eos procedere ut deberent, quamobrem ipsis criminosis et aliis etiam impunitatis exemplo prestatur occasio et lexantur ³² habene similia vel majora seu graviora facinora comitendi, rigor nostre justicie in contemptum deducitur bonumque rei publice leditur manifeste, nec minus enervantur constitutiones pacium et treugarum super hoc edite, quibus et specialiter constitutione illa seu usatico incipienti, *Si quis ex magnatibus, cavitetur quod electi a pace et treuga in Catalonia non debeant sustineri, quinimo omnes magnates contra electos a pace et treuga nobiscum et sine nobis guerram facere teneantur, quod in abusum deventum est per insolentiam et negligenciam officialium nostrorum id, prout deberent, alteri alteris et etiam magnatibus non curantium intimare.* Igitur, huic insolencie et abusui opportunis adesse remediis juxta sollicitudinis regie provindenciam cupientes, tenore presentium vobis et vestrum singulis dicimus et mandamus firmiter et expresse et sub pena amissionis officiorum vobis commissorum quatenus, si quis vel siqui, exigentibus suis demeritis vel sua contumacia exposcente, per nos seu aliquem ex vobis banniti fuerint vel a pace vel treuga ejecti, alii nostri officiales universi et singuli illos habendo pro talibus, eosdem inter districtum sibi commissum minime receptare presumant, quinimo contra ipsis ut bannitos regios vel a pace et treuga ejectos procedere rigide teneantur. Et, ne super hoc aliqui vestrum valeant nubilo ignorancie excusari, harum serie vobis et vestrum singulis sub dicta pena et subscripta dicimus injungendum quod ille vestrum, a quo principaliter criminosi

³⁰ Desde *salutem* hasta *dilectis*, entre líneas.

³¹ La palabra *licet* repetida y tachada una de ellas.

³² *Laxantur.*

aliqui seu contumaces banniti fuerint vel a pace et treuga electi, inde certificet per suas literas omnes alios et singulos officiales regios Catalonie, saltem in viciarum capitibus presidentes seu prefectos, eisdem illorum talium ³³ nomina specifice declarando, qua certificatione recepta hujusmodi, in locis quibus prefuerint bannimentum ipsum vel electionem a pace et treuga faciant solenniter publicari et bannitos etiam bannire noviter infra eorum districtum, ipsosque bannitos et a pace et treuga electos tanquam bannitos et electos a pace et treuga proprios sub pena solita ab omnibus suis subditis facere evitari, et nichilominus quilibet dictorum vicariorum aliis officialibus minoribus, puta subvicariis et baiulis locorum que sunt in, seu de ipsorum vicariis, nec non etiam quo ad electos a pace et treuga prelatis, baronibus, nobilibus et militibus et aliis inter vicarias seu in convicinio castra et loca habentibus, vel eorum officialibus, illud teneantur literatorie nunciare requisitione seu monitione preamble, ut erga illos in non receptando eosdem vel dando eis consilium, auxilium vel favorem, dictas constitutiones pacium et treugarum et specialiter dictam constitutionem seu usatum incipiens, *Si quis ex magnatibus*, sub incursu penarum in ipsis contentarum curent tenaciter observare; et dicti etiam officiales nostri predictos bannitos vel a pace et treuga electos, si eos capere poterunt, remittere ordinario vel judici requirenti, ut sic criminosi ipsi, qui publice non sunt ³⁴ veriti delinquere, publica confusione repulsi manifestaque repulsa confusi intra jurisdictionem regiam nullos adjutores inventiant seu fautores; adientes quod, siquis vel sicuti vestrum in predictis et subscriptis firmiter observandis negligentes fueritis seu remissi, illas penas quas dicti criminosi mererentur irremediabiliter incurretis. Mandantes sub dictis penis ut presens nostrum mandatum pro observatione et executione dictarum constitutionum factum voce preconis publicari faciat et in libris curiarum vestrarum copiari et inseri ad memoriam sempiternam. Datum etc." Verum quia, sicut intelleximus, vos seu aliqui vestrum provisionem nostram preinsertam, maturo et digesto consilio et pro utilitate rei publice et subditorum nostrorum factam vobisque intimatam, curatis minime observare, ideo illos vestrum provisionis nostre hujusmodi neglectores graviter arguentes, vobis et unicuique vestrum dicimus et districte percipiendo mandamus sub penis predictis et sub aliis etiam gravioribus nostro arbitrio reservandis quatenus jamic dictam provisionem et mandatum, tam quo ad bannitos et a pace et treuga electos preteritos quam futuros, servetis irrefragabiliter juxta sui seriem et tenorem. Injungentes vobis ulterius ut, si forsitan aliquos barones, milites, seu alios dicte provisionis facte pro observantia constitutionis predicte noveritis contemptores, contra illos procedatis fortiter,

33 *Talium entre líneas.*

34 *Sunt.*

prout de jure et ratione et secundum constitutiones Cathalonie fuerit faciendum; expensas vero, quas super intimationibus hujusmodi faciendis vos facere contigerit, de emolumentis et proventibus curiarum vestrum cuilibet comissarum volumus fieri et jubemus. Datum etc.

CCLIII.—*Optima diffinitio generalis.*

Nos Petrus etc. Tenore presentis carte nostre cunctis temporibus valiture absolvimus, diffinimus, remittimus et relaxamus ac perdonamus de certa scientia et consulte vobis fideli nostro Maciano Messegue-rii, civi barchinonensi, omnem actionem, questionem, petitionem et demandam civilem et criminalem et quamlibet aliam, que per nos seu officiales nostros quoscumque posset contra vos seu bona vestra fieri ratione seu occasione quorumcumque criminum, excessuum seu delictorum, de quibus vos usque in hunc diem fueritis diffamatus, accusatus, seu delatus, sive pro et de quibus contra vos potuerit seu posset ex officio vel aliter inquiri, seu procedi, seu possetis accusari, deferri, seu denunciari in causam, seu in judicium trahi ex officio vel aliter quavis causa, dato quod crima, delicta seu excessus ipsi forent gravissimi et expressionem requirent specialem, etiam si sint tales seu talia qui, seu que, de sui natura, nisi exprimantur et declarantur in especie, non comprehendenderetur, aut diceretur vel impugnaretur ipsa non debere aut posse comprehendendi seu intelligi in generali sermone seu diffinitione; quoniam nos ex plenitudine nostre regie potestatis omnia et singula jura adversaria tali generali diffinitioni, aut loquencia quod in, seu sub generali diffinitione, gravia seu enormia crima comprehendendi non possunt, et omnes opiniones jurium hiis contrarias tollimus, et omnem defectum, si quis est vel esse potest, supplemus, et ipsam generalem diffinitionem valere et tenere volumus ex plenitudine qua supra, ac si omnia et singula crima, delicta et excessus sub quacumque specie cadere et inesse possent hic, essent dicta, specificata et enumerata ac etiam declarata, omni impugnatione omniisque exceptione penitus quiescente. Declarantes in verbo regio et in fide nostra regia esse nostre intentionis quod de omnibus et singulis criminibus, excessibus seu delictis, quamcumque gravibus et enormibus et sub quavis cadant specie et expressione verborum, vobis dicto t. diffinitionem, remissionem, gratiam, relaxationem et perdonamentum facimus et facere intendimus absque aliqua retentione et exceptione, et hujusmodi gratiam, remissionem, relaxationem et perdonum extendi volumus ad omnia et singula crimina, delicta et excessus que et qui usque in presentem diem per nos seu officiales nostros aut alios quoscumque possent vobis ex diffamatione, accusatione, denunciatione, officio, seu aliter, impingui, opponi seu quomodolibet imputari. Preudentes expresse ac de certa scientia tam nobis quam universis et singulis officialibus nostris presentibus et futuris et successoribus nostris omnem viam et materiam contra vos seu

bona vestra agendi civiliter aut criminaliter seu aliqualiter malignandi, seu vos in persona vel bonis molestandi seu inquietandi pro aliquibus criminibus, excessibus seu delictis que usque nunc comiseritis, aut commisso dicamini, cum ad ea omnia, quecumque et quantacumque sint, presens gracia, diffinicio, seu remissio se extendant easque extendi volumus et decernimus, sicut melius et sincerius potest dici, scribi et intelligi ad bonum, sanum et sincerum intellectum vestri et vestrorum; recolentes et ad memoriam reducentes usaticum Barchinone *Quoniam per iniquum*, quem precipue locum suum venditare volumus in hoc castu. Et nichilominus ex plenitudine regie potestatis predicte tollimus et abolemus quamcumque infamiam ac notam infamie juris et facti, si quam ex difamationibus, delationibus, accusationibus, denunciationibus seu inquisitionibus ex officio vel aliter contra vos factis de aliquo seu aliquibus criminibus seu excessibus, seu ratione alicujus enantamenti seu processus adversus vos facti vel incohati, incurristis, aut posset dici vos incurrisse, vos restituentes ad fame vestre integritatem, omni dubio procūl pulso. Et volumus et mandamus quoscumque processus contra vos factos vel incohatos per nos seu officiales nostros esse cassos, irritos atque nullos et carrere³⁵ penitus viribus et efectu, ac si facti vel incohati minime extitissent et non factos fieri nunc debuisse et deinceps fieri non debere, omnesque emparas bonorum vestrorum et manuleutas et alia enantamenta contra personam seu bona vestra factas et facta tollimus et absolvimus et ad statum prestitum reducimus, et ea cancellari et deleri jubemus per officiales nostros per quos facta et facte sint, ad simplicem vestri requisitionem et etiam sine viso tenore presentis seu ejus copia autentica, mandato alio minime expectato, ipsasque et ipsa nos hujus serie cancellamus et pro cancellatis haberi volumus et decernimus pro cancellatis, abolitis, irritis atque nullis, sic quod vos cum omnibus bonis vestrī tanquam quietius, absolutus et immunis ab omnibus et singulis supradictis possitis ire, esse et stare per totam terram et dominacionem nostram salve pariter et secure et de eis disponere pro vestre libito voluntatis, vobis tamen faciente conquerentibus de vobis, civiliter duntaxat, justitie complementum. Injungentes firmiter et de certa scientia cum hac eadem universis et singulis officialibus nostris presentibus et futuris sub ire et indignationis nostre incursu quatenus, hujusmodi nostram diffinitionem, gratiam et remissionem firmam et validam habentes, contra ipsam non faciant, veniant vel attemptent, nec eam calumpniare seu interpretari presumant, cum nos eis meliori et sinceriori mente, forma, causa et modo, quibus hoc fieri potuerit, facerimus et fieri intendimus et in fide nostra regia vos dictum t. presenti nostra gratia, absolutione et diffinitione ad plenum gaudere volumus absque aliqua interpretatione, dubitatione et exceptione, que,

si fieret, tanquam perniciosa decernimus esse nullam, irritam et inanem. Pro quibus quidem disfinitione, remissione et ³⁶ gratia habuimus a vobis duas mille et quingentas libras monete barchinonensis, quas pro nobis dici fecistis in tabula Raymundi Ledoni, camporis Barchino-ne, dilecto consiliario et thesaurario nostro Bernardo de Ulzinellis militi legumque doctori. In cuius rei testimonium etc.

CCLIV.—*Littera missa per episcopum et capitulum Barchinone epis-copo et capitulo et probis hominibus civitatis Gerunde.*

Ad exemplar Iherusalem civitatis superne, cuius cives, cum ad terminum pervenerint preobatum, vident divinam essenciam et perfruuntur eadem, Deum sine intermissione honorant, benedicunt et laudant, opportet illos qui ad dictam civitatem venire desiderant, dum in hujus mundi ³⁷ peregrinatur exilio, non solum Deum in se set in sanctis suis honorare, benedicere et laudare, et in illis precipue propter quorū merita plures gracias et beneficia percipere dinoscunt; nemo enim potest Deum diligere, nisi diligit sanctos suos, et qui recipit beneficium est illi a quo vel propter quem recipit ad rependendum naturaliter obligatus. Cum igitur propter beatissime virginis et martiris Christi Eulalie, cuius corpus in nostra Barchinone requiescit ecclesia, merita gloriosa largitor bonorum omnium plurimas gratias et beneficia spiritualia et temporalia contulerit et conferat, nedum ipsi ecclesie que ejus sacratissimo corpore honoratur et civitati Barchinone que ejus est precioso sanguine rubricata sed toti Catalonie que ejusdem sanctitate et meritis non mediocriter decoratur, et sit ordinatum per illustrissimum principem dominum Petrum Regem Aragonum, qui eandem virginem et martirem, sicut predecesoris sui fecerunt, patronam suam reputat specialem, et inclitos domininos infantes Petrum et Raimundum Berengarii, reverendissimum patrem t. archiepiscopum Terracone ³⁸ et nos ac cives ipsius civitatis quod dictum sacratissimum corpus, die dominica post instans festum apostolorum Petri et Pauli, transferatur infra dictam ecclesiam honrifice ad locum ad hoc sumptuoso opere preparatum, ut ad ipsam sanctam, que bonis nostris non indiget sed nos suis, populi devotio augeatur et sibi aliqualis honor proprius ³⁹ et si non debitus impendatur, prudential vestram et amiciciam tota cordis affectione rogamus quatenus vos, domine episcope, personaliter et vos capitulum et juratos ⁴⁰ per aliquas ex vobis personas honorabiles, dictis die et loco, ad honorandum translationem hujusmodi intersitis, ut per vos et alios qui ibi intererunt

36 Remissione, tachado.

37 Mudi, en el manuscrito.

38 Entre líneas, archiepiscopum Terracone.

39 Entre líneas, proprius.

40 Entre líneas, et juratos, por et jurati.

in ipsa sancta virgine et martyre honoretur et laudetur Deus, et alacri animo pronaque voluntate persolvantur ymni leticie salutaris et hono rantes et laudantes, ipsa intercedente, mereamur consortes fieri civium superiorum. Nos enim, ultra premium quod ex hoc a Deo consequimini, reputabimus nos vobis propterea obligatos, confidenter significantes, si qua possumus, facere vobis grata. Datum Barchinone II^o idus junii, anno domini millessimo trecentessimo tricessimo nono.

CCLV.—[*Annulatio et cassatio, pro parte Regis, processum causa Unionis in favore filiorum cuiusdam consiliarii.*]

Nos Petrus etc. Attendentes pro parte vestri dilecti t. fuisse nobis humiliter supplicatum ut nostro regali oraculo de et super infrascrip tis vos, tanquam filium et heredem universalem t. consiliarii nostri, tangentibus, de quibus est ad plenum nostra conscientia veridice informata, dignaremur perhibere testimonium veritatis, igitur quia, vestris nec minus etiam dicti patris vestri exposcentibus meritis et longevis serviciis per dictum patrem vestrum et vos nobis prestitis et ad que prestanda vos datis assidue operam efficacem, nos invitant et astrin gunt ut ad ea omnia que vestrum honorem, comodum seu profectum respiciant, nedum si ex justitie debito teneamur sed etiam ubi favor noster et gratia requirantur, vestra fidelis sinceritas nos inveniat li berales, tenore presentis carte nostre cunctis temporibus valiture, fate mur et in veritate recognoscimus et veritatis testimonium perhibemus quod dictus pater vester tempore reprobe et abolite unionis fuit in servicio nostro, ab horrendo et detestando dictam unionem et eidem adherentes; sed, cum nos essemus in civitate Valencie et a dicta unione detestabili urgeremur, idem t., sicut plures alii servitores nostri, ad man datum nostrum expressum et non absque sui molestia et gravi dis plicencia dictam unionem fuit jurare cohactus, protestatione tamen pre via per dictum t. quod dictam unionem ad nostri jussum compellebatur jurare, et cum nos recederemus a dicta Valencie civitate, idem t. reman sis in ea infirmitate detentus, sed non oblitus nostri honoris quem ze lavit semper in intimis cordis sui, quia impeditus dicta infirmitate nobis servire non poterat in persona sua, vos dictum Petrum et Ludovicum filios suos cum decem et pluribus equis et armis ad nos et nostrum ser vicium venire et esse providit suis propriis sumptibus et expensis con tinue et tamdiu quousque nos, extincta unione predicta, dictam intravimus civitatem, et si plures quam vos et dictum Ludovicum ad id abiles idem pater vester haberet filios, plures non est dubium ad nostrum ser vicium et contra dictam unionem mortiferam deputasset; et ulterius, quia dictus t. unionem predictam, quamdiu viguit, ut predictitur, terribiliter perorrebatur, cum a dicta infirmitate convalluit, volens exire et deserere dictam civitatem tunc temporis quo in ea dicta pestifera unio

foveatur, preparans se quanto secretius poterat ad dictum exitum, premisit et transmitere dispositus versus civitatem Xative, que nostro servicio adherebat, uxorem suam cum non nullis azemibilis circa numerum viginti, jocalibus et aliis rebus mobilibus oneratis, et, cum fautores dicte abolite unionis transmissionem azemilarum hujusmodi presensissent, fecerunt insultum adversus ducentes dictas azemilas apud locum de Benifayo et eas cum dictis bonis omnibus occuparunt et ad se retinuerunt non absque dampno maximo patris vestri, cuius occupatores et dampnificatores ⁴¹ pretextu dictus .t. suam petitionem tanquam dampnificatus occasione unionis perverse obtulit, prout alii dampnificati, coram judicibus deputatis ad ea, et inde obtinuit sententiam, per quam sibi adjudicata fuerunt qinquaginta milia solidorum; quibus non obstantibus, ad instigationem quorundam dicti .t. et filiorum suorum emulorum falso sugerencium dictum .t. dicte unionis actibus adhesisse, fuit inde incepsum inquire contra ipsum .t., qui certos capitevatores prestitit ratione predicta; sed, cum idem .t., dicta inquisitione pendente, fuisset morte preventus, non fuit processum amplius in eadem. Et quia ex supra declaratis, de quibus extitit veridica informatio per nos recepta ut superius est contentum, clarissime constat dictum .t. esse et fuuisse quitum et inmunem ab omni labe unionis predicte, ideo ad servandam ipsius Raimundi et posteritatis sue famam testimonio presentis rescripti regalis et carte nostre, quam vim sententie volumus et decernimus obtinere, dicimus et cum ea majori expressione mentis nostre qua possumus et in bona fide nostra declaramus predicta omnia que diximus et retulimus ad commendationem dicti .t. et veri nexus fidelitatis et sinceritatis, quo nobis et honori nostro astringebatur, sic fuisse et processisse et nos ad plenum de eis omnibus recordamur. Dicimus etiam, motu nostro proprio et in fide qua supra, nostre esse intentionis quod quicumque nobis aut alii pro nobis suggestisset dictum .t. adhesisse aliquo modo unioni predicte illud suggestit tipo malicie et invidie et non zelo justicie seu veritatis; sicque dictum .t. cum omnibus bonis suis, quecumque sint et ubicumque, reddimus et decernimus et nominamus a predicta unione et ejus actibus salvum, quitum et inmunem, anullantes, cassantes et irritantes et delentes penitus ac pro nullis et cassis et irritis nunciantes quoscumque processus contra dictum t.^r dicta de causa inceptos eosque effectu et viribus vacuantes. Et hujusmodi cartam nostram et omnia et singula supra contenta, pro dicto .t. suaque posteritate et vobis dicto .t. ejus filio et herede facienda, valere et tenere volumus ac perpetuo esse mansura ad omne bonum intellectum posteritatis sue et vestri dicti .t. comodum et profectum; supplementes proprio motu ex plenitudine nostre regie potestatis omnem solennitatem fori et juris que in ferendis sententiis requiritur et servatur, et

⁴¹ Por *occupationis* et *dampnificationis*.

tollentes eadem potestate omne dubium, si quod in premissis et circa premissa posset aliquo tempore suscitari. Et mandamus sub ire et indagationis nostre incursu universis et singulis officialibus et subditis nostris presentibus et futuris quatenus hujusmodi cartam nostram et omnia contenta in ea, que vim sententie obtainere volumus et decernimus ut prefertur, firma habeant, teneant et observent, et eis aut alicui ipsorum impugnando, interpretando seu obiendo aut aliter contraire quomodo libet non presumant. Nec minus eisdem injungimus prout supra et cuicunque seu quibuscumque notariis et scriptoribus aliisque quicumque sint, in cuius seu quorum posse sint processus vel inquisitio de predictis facti vel facta, quatenus tangant dictum .t. aut caplevatores per eum datos, ut illos dilanient, deleant et cancellent taliter quod nullo tempore valeant apparere. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

CCLVI.—[*Ampliatio auctoritatis notarie.*]

Nos Petrus etc. Attendentes nos, cum carta nostra pendenti sigillo munita, constituisse et creasse vos t. in notarium publicum per totam terram, dicionem et dominacionem nostram, ita quod in universis et singulis locis terre dominacioni ac dicioni nostre subiectis possitis recipere et confidere testamenta, acta, attestations, sententias et quelibet alia instrumenta quorumcumque contractuum essent et qualibet alias scripturas autenticas et publicas et ea scribere ac scribi facere per substitutum aut substitutos, a vobis juratos tamen, prout hec et alia in ipsa carta continentur; attendentes etiam per vos fuisse nobis humiliter supplicatum ut auctoritatem et decretum hujusmodi vobis ut premititur concessam ampliare de benignitate regia dignaremur, ideo supplicationi vestre benigne annuentes, attentis et consideratis suficiencia, idoneitate ac firma vestris, quas in conspectu nostro et aliter pluries novimus comedabiles et expertas, tenore presentis carte nostre concedimus vobis dicto .t. ex nostri regia potestate et auctoritatem et licentiam plenissimam vobis conferimus cum eadem quod in universis et singulis locis dicioni ac jurisdictioni nostre subiectis valeatis et possitis per vos ac substitutum et substitutos seu substituendos, a vobis juratos tamen, recipere et confidere ac scribere et recipi, confici ac scribi facere testamenta, acta, attestations, sententias et quelibet alia instrumenta quorumcumque contractuum fuerint et quaslibet alias scripturas publicas et autenticas civiles, judiciales videlicet et criminales, nos enim ipsa testamenta, acta, attestations, sentencias, instrumenta et alias scripturas publicas et autenticas per dictos juratos et substitutos per vos assumptos et in posterum assumendos recipienda et recepta valere volumus et tenere, ac si per vos recepta essent personaliter seu confecta, et eisdem auctoritatem nostram impendimus et decretum, ita quod eisdem in judicio et extra judicium fides plenaria habeatur et omnimodam obtineant roboris firmitatem, dum tamen vos subscriptionem et

signum vestrum apposueritis in eisdem. Mandantes per presentem cartam nostram generali gubernatori nostro ejusque vices gerentibus, vicariis, baiulis, curiis, justitiis, suprajunctariis, calmedinis, merinis et universis aliis officialibus et subditis nostris ubilibet constitutis, presentibus et futuris, quod hanc nostram concessionem et auctoritatis ampliationem firmam habeant, teneant et observent et non contraveniant nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione seu causa, quibusvis ordinationibus seu statutis generalibus vel specialibus, in contrarium editis vel edendis, obstantibus nullo modo. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

CCLVII.—[*De punitione cujusdam domicelli acunydati causa violentie et injurie illate cuidam bajulo.*]

Petrus etc., nobili et dilectis consiliario nostro Berengario de Apileia militi gerenti vices gubernatoris in Cathalonia, vicariis, baiulis, aliisque officialibus nostris vel eorum loca tenentibus, presentibus et futuris, salutem et dilectionem. Cum nos legitime fuerimus informati quod Johannes de Montbuy, domicellus, die ultima mensis Augusti proxime preteriti, in magnum dedecus et contemptum nostre regie magestatis magnam violenciam et injuriam intulit Raimundo Guarro, baiulo nostro Pratorum et Segarre constituto in civitate Barchinone in qua nos personaliter tunc eramus, sicut nunc sumus, et ad quam pro negotiis bajulie sibi comisse et jurisdictionem regiam tangentibus venerat, sic quod dictus Johannes, Dei et nostro timore postposito neglectisque penis que per usaticos Barchinone infliguntur contra talia facientes, injuriose et ⁴² victuperose traxit aperte retro per capillos seu crines dictum bajulum cum magna violencia vicibus iteratis, ex quo dictus Johannes in penas contentas in usatico Barchinone incipiente, *Auctoritate et rogatu*, noscitur incedisse, quibus inter cetera cavetur quod nocumentum, dampnum vel forisfacturam contra dictum usaticum inferens, ipsa die qua hec fecerit teneat se pro acunydato a potestate, et si per hoc aliquod malum prendiderit nullo modo ei emendatum sit, et nichilominus malum quod in persona aut bonis intulit malum passo debeat undecuplum emendare, propterea vobis unicuique vestrum dicimus et mandamus expresse quatenus in locis solennibus jurisdictionis cuiilibet vestrum comisse faciat confestim dictum Johannem publice et solenniter proclamari esse a nobis acunydatum et quod omnes et singuli officiales et subditi nostri inferant sibi tam in persona quam bonis omne malum et dampnum quod inferre poterunt, tamquam acunydato a nobis, ipsumque capiant si capere poterunt et ad nos remittant bene custoditum pro tanta ofensa nobis illata debite puniendum; et nichilominus, cum secundum mentem dicti usatici prefatus Johannes illatum malum dicto baiulo debeat in un-

42 Et, entre líneas.

decuplum, ut premittitur, emendare, cuius mali esmenda que per usatios Barchinone ad tres uncias auri cocti extimata est, undecuplata ad triginta tres uncias auri cocti ascendit, ideo volumus et vobis mandamus quod de bonis dicti Johannis de Montbuy, ubicumque ea invenire poteritis, dictas triginta tres uncias auri cocti emendari et resarciri dicto baiulo faciatis. Retinemus tamen nobis esmendam desonoris quem ex predictis idem Johannes nobis intulit, quam esmendam valeamus petere et exigere juxta formam dicti usatici, quando nobis visum fuerit expedire. Mandantes etiam specialiter vobis dictis officialibus et vestrum cuilibet ut premissa omnia et singula cum summa diligentia executioni mandetis, scituri quod, si ob vestri culpam, desidiam vel favorem aliquid omissum fuerit executioni deduci de predictis que valde cordi habemus, id imputabitur culpe vestre vosque proinde tam rigide puniemus quod aliis cedet exemplariter ad doctrinam. Datum Barchinone, XII^a die septembris, anno etc.

CCLVIII.—[*Supplicatio pro quodam presbitero facta domino Pape.*]

Clementissime pater: Pro benemeritis atque dignis et quos litterarum scientia, vite ac morum honestas laudabiliter recomendat apud vestram sanctitatem libenter effundimus preces nostras, e firmo tenentes quod eas libenter ad exauditionis gratiam introducet. Hinc est, pie pater, quod pro dilecto nostro Ffrancisco de Albesa presbitero Vicensi, cui pretacta merita et alia Dei donaria divinitus suffragantur, vestre sanctitati supplicationem subscriptam providimus dirigendam, eidem humiliter supplicantibus ac pro speciali munere postulantes quatenus honore nostri et dicti presbiteri meritorum obtentu dictam supplicationem dignemini benignius exaudire, nam ex inde acceptum munus specialisque gratia vobis utique largientur pro qua referemus vestre beatitudini dignas grates. Almam personam vestram dignetur Altissimus conservare incolumem Ecclesie sue sancte.

OCLIX.—[*Ordinatio solutionum in insula Sardinie.*]

Petrus Dei gratia Rex Aragonum etc., fidelibus nostris administratoribus reddituum et jurium nostrorum insule Sardinie vel eorum locatenibus, qui nunc sunt vel erunt pro tempore, salutem et gratiam. Noveritis quod ad tollendam omnis questionis matriam que tam apud vos quam inter assignatarios, habentes videlicet assignationes vel obligationes super pecunia reddituum et jurium predictorum, frequenter, ut percepimus, suscitatur ratione solutionum fiendarum ex inde, nec minus ut hiis que in dicta insula potiori cautela et adjutorio indigent primo et principaliter succurratur, certos gradus et formas in ipsis solutionibus faciendis prout subdistinguitur providimus observari. Volumus quidem, ordinamus, ac statuimus de certa scientia ut salario custo-

dum castri Callari et Algerii ac Sasserii omnesque assignationes facte et fiende pro restauratione et defensione dicti loci de Alguelio principaliter et ante omnia persolvantur; secundario retinencie aliorum castrorum; tertio salario officialium dicte insule; quarto stipendia equitum; quinto perpetualia et violaria quorumcumque; sexto debita que per nostram curiam debeantur; septimo et ultimo debita que debeantur ex gratia per nos factis. Declaramus tamen et volumus quod, ubi peccunia non sufficeret ad predicta omnia exsolvenda, defectus ipsius peccunie ex toto cadat super ultimo gradu, et si adhuc non sufficiat, ipsa peccunia cadat super sexto ex toto, et, si non sufficiat vobis pecunia, cadat defectus ex toto super quinto gradu, et sic per eundem modum fiat et ordinetur in omnibus gradibus de gradu in gradum usque ad primum veniendo, ita quod prioritas cuiuslibet gradus secundum ordinem presentis nostre ordinationis in solutionibus faciendis ex toto in gradu quolibet observetur, et in quolibet gradu volumus priorem tempore esse potiorem juris quantum ad nominatos in ipso gradu tantum modo et contentos, vobis tenore presentium et de certa scientia iniubentes quod ad solvendum quicquam alicui procedere nequeatis, nisi servando gradu et ordinem ac modum superius predistinctos. Et si contrarium in aliquo temptaveritis, citra penam quam subire merebitur pro nostri transgressione mandati, mandamus tenore presentis magistro rationali curie nostre vel alii inde a vobis compotum audituro quod ea recipere in nostro compto non presumat, nisi in litteris, si que in contrarium fierent, tenor hujus littere inseratur. Datum ⁴³, Calataayub, sub nostro sigillo secreto, XIII^a die Januarii, anno a nativitate domini M° CCC° L° IX°.

CCLX.—[*Littera missa duci Bavarie super guerra inter Reges Aragonum et Castelle.*]

Petrus Dei gratia etc., egregio viro Roberto, comiti palatini regni et duci Bauarie, velut fratri nostro carissimo, salutem et fraterne dilectionis affectum. Vestras recepimus litteras in quibus nobis tam vestri quam egregie Beatricis vestre conjugis, velut sororis nostre carissime, ac liberorum vobis et sibi communium statum prosperum et incolunem nunciastis, quod acceptum nobis fuit admodum atque gratum, rogantes vos quod de prosperis successibus vestri et dicte vestre conjugis totiusque prosapie vestre nos certificare sepius conemini et velitis; et quia vice versa vos credimus gratulari, cum de nobis et inclita domo nostra vobis prospera nunciantur, significamus vobis hujus serie quod nos cum illustri Alienora Regina Aragonum, consorte nostra carissima ac natis nobis et sibi communibus plena fruimur corporum per Dei gra-

tiām sospitate. Quo ad negotia vigentis guerre Castelle, que vestra cupit nobilitas sibi protinus reserari, eidem tenore presentium patetiat quod Rex Castelle noster publicus inimicus hiis annis, contra omnes conventiones et pacis? ⁴⁴ federa inter nos ex parte una et dictum Regem ejusque predecessores ex altera inita et facta?, guerram nobis et nostris subditis mouit?, nulla ratione preambula sed tantum ejus? varia? ⁴⁵ voluntate, et postea, cum tam nos quam ipse, coadunatis turbis et aciebus ⁴⁶ adire vellemus et essemus omnes intra quatuor leucarum spatium constituti, fuerunt inter nos et eum treuge firmate propiis nostri et ipsius Regis iuramentis et homagiis facte? in posse et manu domini cardinalis Guillelmi nomine et tanquam legati Romane Curie recipientis sub certis modis, formis, pactis et conditionibus, que Rex predictus tanquam lesor proprii sacramenti et non absque sue fidei detrimento adimplere noluit nec curavit. Postmodum vero, cum iteratis et repetitis vicibus tam nos quam ipsse Rex ad iniendum campestre bellum pro viribus parassemus, dictus Rex, acquisito colore quod tractatus pacis qui fiebant ⁴⁷ inter nos et eum per dictum cardinalem Bononie, dicte sedis legatum, sibi locum et finem debitum manciparent, suos fecit stipendiarios retrocedere et ipse idem cum sui magna innominia retrocessit, quod nos tollerare nequivimus, immo ipsius Regis regnum intravimus manu forti et fuimus juxta locum ubi ipse propriam aciem congregarat, sed cum eum inibi, sui fuga mediante, reperire nequivimus, non nullis ejus subditis, villis et opidis submissis incendio et gladio dire mortis, curavimus ad propria feliciter remeare. Tractu quidem temporis, nobis degentibus in nostre Cathalonie principatu, nobilis et dilectus consiliarius noster Enriquus Comes Trestamere miles et non nulli alii nobiles cum nostrorum fidelium equitum octingentorum numero, vel circa, intrarunt regnum dicti Regis Castelle causa dampnificandi illud pro viribus atque posse, et cum forent in quadam villa quam ab inimicorum manibus eripuerunt vi armorum, ad eorum pervenit auditum quod frontalerii regni dicti Regis Castelle in eos veniebant numero mille et quingentorum equitum causa eiciendi illos a confinibus dicti regni, qui nostrates, non expectato inimicorum adventu, illico ipsam villam cum suma letitia exierunt et suis aciebus animose ordinatis ad bellum accesserunt obviam inimicis in eos taliter

⁴⁴ Palabra, casi ilegible. El ángulo superior de la derecha de este folio 138 v., así como el izquierdo de la misma parte del siguiente aparecen casi completamente borrados como si se hubiesen mojado y la tinta, además, hubiese sido muy débil. Sin embargo, he podido leer casi todas las palabras, aunque algunas como dudosas.

Lo mismo ocurre —y debido a idéntica causa— en los restantes folios hasta el 156 en que termina el manuscrito.

⁴⁵ Palabras de lectura dudosa por hallarse en la parte del folio a la que acabo de aludir.

⁴⁶ Ilegibles cinco o seis letras por la misma causa.

⁴⁷ Palabra enmendada. ¿Iniebant? El sentido no varía.

tamque fortiter irruentes, invocato nomine sancti Georgi pro cuius reverencia omnes nostros stipendiarios ejus signo facimus communiri, quod judicio Altii Regis, qui superborum cornua inclinat et comprimit, eosdem triumphaliter superarunt, in quo quidem conflictu plures quam trecenti equites nostrorum hostium, inter quos erat Johannes Ferdinandi de Fonestrosa miles capitaneus dicte guerre, extremo supplicio devenerunt, sicut et omnes fecissent nisi triste fuge remedium eis per obtine valuisse; fuerunt etiam et tunc capti Enecus Luppi de Forosco, Ffurta dus Diez milites et nonnulli alii viri notabiles et insignes numero triginta et amplius, quique nostris carceribus sunt detrusi, quo facto, nostrates regnum nostrum Aragonum victoriosius adiverunt. Ceterum vero per dictum dominum cardinalem nominatum proxime in et super guerra ipsa quidam pacis tractatus noviter iniuntur, de quibus inspectis, prescriptis et aliis, que non sunt de Rege uncto per alium referenda, modicum imo vix aliquid speramus; set credimus et confidimus in eo in quo regnamus et vivimus, quique nostram justitiam hucusque prosequi sui bonitate inefabili misericorditer est dignatus, quod taliter negotia ipsius guerre nobis salubriter adhrebunt quod nedum vobis cui promptissime scribemus set etiam toti mundo poterunt cum triumpho nostri ceptri regii universaliter propalari. Datum etc.

CCLXI.—[*Concessio beneficij et presentatio ad ipsum.*]

Nos Petrus etc., attentes beneficium t. loci, cuius jus patronatus ad nos de jure noscitur pertinere, vacare per mortem t. quondam presbiteri qui dictum beneficium obtinebat, idcirco vobis fidei nostro t. presbitero, de cuius vite puritate et conversacione honesta laudabile testimonium peribetur, cum presenti carta nostra beneficium hujusmodi ducimus conferendum, rogantes venerabili t. ut vos confirmet in beneficio antedicto tanquam idoneum et capacem quem eidem cum presenti ad ipsum beneficium presentamus. Mandantes nichilominus omnibus nostris officialibus et subditis, presentibus et futuris, quod vos dictum t. pro presbitero dicti beneficij teneant et tractent vobisque respondeant et responderi faciant de iuriis beneficij antedicti. In cuius rei testimoniū etc.

CCLXII.—[*Super eodem. Presentatio ad beneficium.*]

Petrus etc., venerabili t., salutem et dilectionem. Cum nos cum carata nostra sub presentis data confecta beneficium capelle t., cuius jus patronatus ad nos de jure noscitur pertinere, vacans per mortem t. quondam presbiteri qui ipsum beneficium obtinebat, fidei nostro t. presbitero duxerimus conferendum, idcirco dictum presbiterum tanquam benemeritum, sufficientem et idoneum ad dictum beneficium obtainendum

vobis auctoritate presentium ducimus presentandum. Quare vos requiri mus et attente rogamus quatenus dictum t. in dicto beneficio instituere cum omnibus suis iuribus debeatis. Datum etc.

CCLXIII.—[*Reparatio carte corrose per canes.*]

Nos Petrus etc. Quia per vos t. fuit nobis humiliiter supplicatum ut, cum quedam carta vestra pergamenea nostro pendenti sigillo munita, cuius tenor inferius est insertus, casu fortuito per canes fuerit corrosa, eandem cartam in registro nostro in quo extitit registrata mandaremus perquiri et, ipsa inventa, iterum ex dicto registro rescribi et reparari facere de nostra benignitate regia dignaremur, nos vero, supplicationi hujusmodi favorabiliter annuentes, dicta carta de nostro mandato perquisita in dicto nostro registro et inventa, cuius tenor talis est: "Nos Petrus Dei gratia Rex etc.", ipsam cartam corrosam que in nostra cancellaria restituta extitit et laniata jussimus reparari eandemque et contenta in ea, prout melius et plenius continentur superius, hujus serie reparamus. Mandantes per hanc eandem thesaurario nostro necnon magistro rationali curie nostre et ejus locumtenenti, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, et aliis officialibus supradictis quatenus, reparationem nostram hujusmodi firmam habentes et eidem fidem indubiam adhibentes, contenta in carta nostra preinserta compleant ac etiam exequantur, prout ad unumquemque eorum noscuntur melius et plenius pertinere. In cuius rei testimoniorum presenten reparationis cartam fieri etc.

CCL.XIV.—*Emancipatio.*

Nos Petrus etc. Ad supplicationem .t. propterea nobis factam presentis, volentis atque petentis a nobis humiliiter et devote vos .t. ejus filium, minorem septennio, a sacris paternis dimiti et a nexu potestatis patrie liberari, tenore presentis carte nostre vos .t. presentem emancipamus et a manu ac paterne nexibus potestatis penitus eximimus et dimittimus ac etiam liberamus, et memorato .t. potestatem vos emancipandi et licenciam nostram tribuimus ex nostre regie plenitudine potestatis, ita quod vos amodo absque patrie potestatis obtentu possitis ex nunc testari, agere, contrahere et pacisci et omnia titulo donationis vel aliter vobis adquirere integriter et libere, ac omnia et singula tam in judicio quam extra judicium facere et libere exercere que quilibet pater familias liber homo et sui juris effectus potest facere et liberaliter exercere; quas siquidem emancipationem et relaxationem hujusmodi ratas habere volumus atque firmas et tanquam Rex, princeps et dominus nostram in eis auctoritatem etiam impertimus. Mandamus per presentem gubernatori nostro generali ejusque vices gerentibus ceterisque officialibus nostris, presentibus pariter et futuris, quod emancipationem et relaxationem nostras hujusmodi firmas habeant, teneant et observent et ab-

omnibus easdem haberi observari faciant et teneri et contra eas non veniant nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione. In cuius rei testimonium.

Signum Petri etc., qui predicta concedimus et firmamus eisque auctoritatem nostram impe[n]dimus.

Testes sunt, t. t.
 t. t.

CCLXV.—*Comissio emancipationis. [Committit Rex vices suas vicario Barchinone et Valencie et dat ei potestatem concedendi cuidam patri facultatem ad emancipandum filium suum minorem.]*

Petrus etc. dilecto vicario nostro Barchinone et Valencie vel ejus locumtenenti, salutem et dilectionem. Cum Poncius de Palacio, dominus, ex justis et legitimis causis coram nobis propositis intendat emancipare Johannem minorem septennem, filium sibi ⁴⁷ et .t. uxoris sue, et liberare eum a nexibus patrie potestatis et propterea nobis humiliter supplicaverit ut emancipandi dictum ejus filium licenciam sibi de benignitate regia concedere dignaremur, idcirco, supplicatione ipsa benigne admissa, vobis dicimus et mandamus quatenus, non obstante lege, constitutione sive statuto prohibentibus minores per ipsorum parentes non posse emancipari, dicto Poncio emancipandi dictum ejus filium et liberandi a patrie potestatis nexibus auctoritate nostra licenciam et facultatem plenarie impendatis, prout in similibus est fieri assuetum. Nos enim concedendi ipsam licentiam dicto Poncio de Palacio de nostre regie potestatis plenitudine vobis comitimus vices nostras ac plenam vobis tenore presentium concedimus facultatem. Datum etc.

CCLXVI.—[*Scribit dominus Rex cuidam, ut insistat apud Pappam super traslatione cujusdam episcopi supplicata per illum ipsi Pappe.]*

Reverende pater et amice carissime: Noveritis nos domino Summo Pontifici scribere in hec verba: "Sanctissime pater, vestre clementie alias recollimus literatorie supplicasse ut venerabilem in Christo patrem fratrem Franciscum, episcopum Guisarelensem, consiliarium nostrum dilectum, ad Dolensem ecclesiam sitam in insula Sardinie, eo quia metu Sardorum sue diocesis, qui jam ejus fratrem nequiter peremerunt, in illa stare non audet, et etiam quia ut e certo percepimus electus ad dictam ecclesiam Dolensem non est homo bone conditionis et aliis justis rationibus expressatis in litteris nostris vestre sanctitati directis, transferre misericorditer dignaretur; et quia nondum scimus an preces fuerint sortite effectum, propterea eidem sanctitati denuo humiliter supplicamus quatenus, ex causis predictis ex quibus juste movemur, dignetur

47 Por sui.

eadem sanctitas super dicta translatione fienda condescendere votis nostris. Almam personam etc. Datum ut infra." Verum quia valde appetimus ut fiat translatio antedicta, idcirco vestram paternitatem et amiciciam quam ad hec specialiter elegimus deprecamur quatenus velitis et placeat ut dicta fiat translatio insistere toto posse, et regraciabimur illud vobis. Datum etc.

CCLXVII.—[*Concessio deferendi arma.*]

Nos Petrus etc. Ad supplicationem humilem pro parte quorumdam domesticorum nostrorum propterea factam nobis ⁴⁸ concedimus ⁴⁹ et licentiam plenariam ⁵⁰ impertimur vobis .t. quod absque alicujus pene incuso, de die et nocte, una cum altero ⁵¹ vos concomitante, quecumque arma prohibita ad deffensionem vestri et ipsius ⁵² per totam terram et dominationem nostram deferre libere valeatis; quibusvis bannis, penis, statutis, ordinationibus seu revocationibus generalibus vel specialibus de hujusmodi concessionibus ⁵³ sub quacumque verborum expressione conceptis per nos vel alios in contrarium ⁵⁴ factis et amodo faciendis, in quibus nolumus vos nec dictum vos concomitantem aliquatenus comprehendendi quinimo ea et eas quo ad hoc tenore presentis de certa scientia revocamus et pro revocatis haberi volumus et jubemus ⁵⁵, obstantibus nullo modo, nisi in ipsis revocationibus tenor presentis carte ⁵⁶ totaliter sit ⁵⁷ insertus. Mandantes cum hac eadem ⁵⁸ vicariis, baiulis, justitiis, capitibus excubiarum ⁵⁹ ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, vel locatenentibus eorumdem quatinus, concessionem et licentiam nostram hujusmodi firmiter observando et observari inviolabiliter faciendo, contra eam non veniant nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione. In cuius rei testimonium presentem cartam nostram fieri jussimus nostro sigillo pendenti munitam. Datum etc.

⁴⁸ *Propterea factam nobis*, entre líneas. Debajo, tachadas, *nobis reverenter exhibitam*. En esta fórmula hay varias tachaduras y enmiendas y palabras entre líneas.

⁴⁹ Tachadas *vobis Thome Rosecti notario Barchinone.*

⁵⁰ *Plenariam*, entre líneas.

⁵¹ *Altero*, entre líneas. Debajo, *uno* tachada.

⁵² *Ipsius*, entre líneas. Debajo, tachadas, *dicti vos concomitantis.*

⁵³ *De hujusmodi concessionibus*, entre líneas.

⁵⁴ Tachada, *inde.*

⁵⁵ *Jubemus*, entre líneas. Debajo *indebemus*, tachada.

⁵⁶ *Nostre*, tachada.

⁵⁷ *Sit*, entre líneas. Debajo *esset*, tachada.

⁵⁸ *Cum hac eadem*, al margen y entre líneas. Debajo, tachadas, *per presentem cartam nostram.*

⁵⁹ *Capitibus excubiarum*, entre líneas.

CCLXVIII.—[*Donatio in emphiteosim.*]

Tenore presentis carte nostre cunctis temporibus valiture stabilimus et in emphiteosim damus et concedimus vobis fideli consiliario nostro Petro Ça Costa civi barchinonensi et vestris ad meliorandum et non deteriorandum quoddam patium sive trocium terre, quod nunc est fimirium, quodque nos habemus et possidemus per liberum et franchum alodium in orta civitatis Barchinone juxta vel prope pontum qui dicitur de les Bignes, quodque terminatur ab oriente in camino publico, ad meridiem in tenedone Petri Cerva, ad occidente et circio in rego comitali, sub tali tamen pacto et conditione quod pro censu predictorum tribuatis et exsolvatis nobis et quibus voluerimus quolibet anno in festo nativitatis Domini duos denarios monete Barchinomensis de terno; in hiis autem non proclametis neque faciatis vos aut vestri alium dominum vel dominos, nisi tantum nos et nostros, liceatque vobis et vestris post triginta dies ex quo in nobis et nostris faticati fueritis predicta que vobis in emphiteosim damus et concedimus cum omnibus melioramentis que ibi feceritis vendere et impignerare vestris tantum consimilibus, salvis tamen censu, jure, dominio et fatica XXX dierum nostri et nostrorum. Pro intrata vero predictorum dedistis et exsolvistis nobis et confitemur nos a vobis habuisse recepisse decem solidos barchinonenses, et ideo renunciamus exceptioni non numerate et non solute pecunie ac intrate non habite et non recepte et doli mali et actioni in factum. Insuper convenimus et promittimus vobis quod predicta que vobis in emphiteosim damus et stabilimus cum omnibus melioramentis que ibi feceritis faciemus vos et vestros in hiis sucessores habere, tenere et possidere in pace, perpetuo, contra omnes personas, et quod tenebimus vobis et vestris semper de firma et legali evictione eorum; et pro his omnibus et singulis complendis et attendendis obligamus vobis et vestris omnia bona nostra. Ad hec ego dictus Petrus Ça Costa, acceptans stabilimentum hujusmodi sub condicioneibus predictis et eisdem expresse consentiens gratis et ex certa scientia, per me et meos in hiis sucessores convenio et promito vobis dicto domino Regi et vestris quod predicta per me a vobis in emphiteosim recepta meliorabo et non deteriorabo in aliquo et dictum censum annuatim solvam et alia complebo, in quantum me tangunt, que superius condicuntur, sub mei et meorum in hiis successorum obligatione bonorum. In cuius rei testimonium nos dictus Rex presens publicum instrumentum fieri jussimus nostre magestatis sigillo appendicio communitum. Quod est actum Barchinone.

Signum Petri etc., qui hec concedimus et firmamus.

Signum Petri Ça Costa predicti, qui hec concedo et firmo.

Testes sunt etc.

CCLXIX.—[*Receptio cujusdam judei in familiarem et domesticum regium.*]

Ad gratuita servicia per te Issacum David Gabbá, judeum Barchinone, nobis impensa nostrum intuitum dirigentes volentesque personam tuam nostre familiaritatis titulo premunire, tenore presentis te dictum Issacum David in familiarem et domesticum nostrum recipimus et aliorum judeorum familiarium et domesticorum nostrorum numero aggregamus, tibi specialius concedentes ut illis de cetero prerogativis et favoribus gaudeas quibus alii judei familiares et domestici nostri soluti ⁶⁰ sunt gaudere. Ceterum, ut majori prerogativa leteris, ejusdem tenore tibi concedimus ex gratia speciali quod minime tenearis in vestibus tuis rotam portare quam judei tenentur deferre in eorum veste superiori, nec propter obmissionem dicte rote in penam aliquam, sique est imposita seu inficta contra non defferentes dictam rotam, videaris quomodolibet incidisse. Mandantes cum eadem universis et singulis officialibus et subditis nostris ubilibet constitutis quod, habentes ratam, gratam et firmam hanc nostram concessionem et gratiam, eam tibi teneant et observent ac faciant ab omnibus aliis inviolabiliter observari, teque cum omnibus ⁶¹ rebus et familia tuis tractent ut quemvis alium judeum nostrum familiarem et domesticum ac sinant incedere absque rota, faciant et gaudere prerogativis omnibus quibus alii nostri domestici sunt gaudere ⁶² soliti atque debent. In cuius rei testimonium presentem cartam fieri et sigillo nostro pendentí jussimus comuniri. Datum etc.

CCLXX.—[*Franquitas questie, subsidii, hostis, cavalcate etc. concessa procuratori cujusdam monasterii.*]

Nos Petrus etc. Atendentes priorem et fratres conventus monasterii beate Marie de Carmelo, in civitate Barchinone constructi, ob eorum et dicti monasterii necessitatem et comodum ordinasse in procuratorem et operarium dictorum monasterii et conventus vos fidelem nostrum Arnaldum Serra mercatorem, civem barchinonensem, et propterea nobis humiliiter supplicasse ut vos prossequi dignaremur nostris gratiis et favoribus infrascriptis, igitur, ipsorum fratum quibus scincera devotione afficimus supplicationi favorabiliter inclinati, tenore presentis carte nostre firmiter valiture enfranquimus vos dictum Arnadum Serra immunemque et francum facimus cum omnibus bonis vestris, dum dictorum monasterii et conventus procurator et operarius extiteritis, ab omni pena, questia, subssidio et quavis alia exactione regali et ab omni exercitu, hoste et cavalcata et eorum redēptionibus, preterquam si in eis

⁶⁰ Soliti.

⁶¹ Cum omnibus, entre líneas.

⁶² Sunt gaudere, entre líneas.

nos personaliter adesemus; ita quod non teneamini in dictos exercitus, hostes et cavalcatas personaliter adesse vel ire nec aliquem loco vestri mitere, dum dicta officia [habueritis], nisi nos in eis fuerimus, ut est dictum; quoniam partem vos solvere contingentem in predictis peytis, questiis et subsidiis aliisque exactionibus regalibus, nec non in redemptionibus exercitum⁶³ et cavalcatarum quibus nos non aderimus recipi et admitti in nostro compoto faciemus toto tempore quo vos preeritis officiis prelibatis. Mandantes nichilominus de certa sciencia cum eadem thesaurario nostro et collectoribus dictarum regalium exactionum ceterisque officialibus et subditis nostris quod hanc nostram concessionem et gratiam pia devotione indultam firmiter teneant et observent ac contra illam non veniant nec quemquam venire sinant, faciant, vel permitant, si de nostris confidunt gratia et amore. In cuius rei testimonium hanc fieri et nostro pendentii sigillo jussimus insigniri. Datum etc.

CCLXXI.—[*Super executione cujusdam sententie, nullitatibus allegatis non obstantibus.*]

Petrus etc., fidelis nostro Bernardo de Alpicat, jurisperito civitatis Valencie, judici ad infrascripta delegato, salutem et gratiam. Cum pro parte Ffrancisce uxoris Petri Marrades, civis dicte civitatis, et Claret, domicelle domus illustris Alionore Regine Aragonum consortis nostre carissime, filiarum et heredum Guillermi Masconi, civis civitatis ipsius quondam, fuerit nobis supplici petitione monstratum quod in lite seu questione, que diuinus uersa⁶⁴ fuit inter dictas suplicantibus aut tutorem vel curatorem earum agentes ex parte una et Jacobum de Manso, civem dicte civitatis ex altera defendantem, ratione cujusdam alcareae vulgariter nuncupate Sexera, quam dictus Jacobus possidet quamque dicti supplicantibus ad se pertinere asserunt quibusdam rationibus sive causis, ffuerunt post latam definitivam sententiam in eadem allegatae aliquae nullitates processuum per dictum Jacobum vel ejus partem, cuius allegationis pretextu retardatur plus debito executio sententie supradicte, in dictarum supplicantium pro quarum parte fuit lata dicta sententia queque suo jure sunt frustate vel quasi evidentissimum detrimentum, nosque velimus ut, dictis non obeuntibus nullitatibus quas nos tollimus hujus serie ex nostre regie plenitudine potestatis, dum tamen jus partis non absorbantur, in causa ipsa totaliter procedatur, eapropter vobis dicimus firmiter et mandamus quatenus in dicta causa exequendo dictam sententiam et aliter procedatis ac si dictae nullitates, jus partis non absorbentes ut premititur, allegate seu propositae non fuissent, habentes vos taliter super hiis quod dicte supplicantibus ob de-

63 Exercitum.

64 La tinta se ha debilitado mucho en esta parte del folio. Recuérdese lo dicho en una de las notas anteriores (fórmula CCLX).

fectum justicie in vobis compertum ad nos iterato recurre[re] non co-
gantur. Datum Valencie etc.

CCLXXII.—*Instauratio cause.*

Petrus etc., fidelis nostro t., judici ad causam subscriptam assignato, salutem et gratiam. Pro parte fidelis nostri Ferrarii Boneti causidici, civis Barchinone, curatoris dati ad lites Nicolao Boscani concivi suo filioque Jacobi Boscani quondam mercatoris civis barchinonensis, nobis extitit suplicatum ut, cum instantia cause que vertebatur inter ipsum curatorem agentem ex una parte et priorissam ac conventum Predicaticum Barchinone seu eorum procuratorem ex alia, ratione in processu inde actitato contenta, propter lapsum anni et dimidii fuerit sopita, dignaremur tempus sive instantiam dicte cause de nostra benignitate solita instaurare. Nos igitur, supplicationi hujusmodi annuentes benigne, tempus instantie cause predicte restituimus ac etiam instauramus de nostre regie plenitudine potestatis; mandantes vobis quatenus, vocatis evocandis et resumpto processu cause ipsius in eo puncto quo est, de causa predicta cognoscatis eamque simpliciter et de plano, prout de jure et ratione fuerit faciendum, fine debito terminetis, proviso tamen quod per vos certus terminus peremptorie utrique parti assignetur ad dicendum, probandum et allegandum ultra jam proposita, probata et allegata, si quid dicere voluerit in predictis. Datum Barchinone, XIX^a die junii, anno a nativitate Domini millesimo CCC^o lx^o quinto.

CCLXXIII.—*Recepta per' a vorm⁶⁵ de bes.*

Primerament reeb III arienzos de saffra. Item migra llibra de mel, Item XIII ous et lança los blanchs. Item migra llibra de cengrech o alfolbes. Item mig quarta o mes de farina de centeno o seguol. E com tot aço hauras pri'n de las alfolbes entegres que les altres devien esser picades. Et ab I quarta d'ordi aspriu mit les a bollir. E quant sera ben bollit treu la aygua. E fen de tot I^a gran massa o pasta sens l'ordi pero. E cascun dia done'n a boure a ton cavall pero cascun dia con I^a quarta d'ordio en⁶⁶ la aygua en que sera cuit desfes I troç de la pasta et begue'n a manera de abouratge et guerra tantost.

CCLXXIV.—[*Ordinatio et concessio tafurarie in insula Sardinie.*]

Petrus etc. Quibusvis pravis actibus, presertim ex quibus dissensiones et mala?⁶⁷ proveniunt, obviare volentes, cum sit auribus nostris

⁶⁵ O verm.

⁶⁶ ques desfaça, tachadas.

⁶⁷ El estado de conservación de algunos de los últimos folios deja algo que desear: por la parte de la juntura y por los bordes el papel está deteriorado

deductum quod in castro Callari insule Sardinie et ipsius appendiciis in-diferenter et publice tam habitantes in dicto castro quam stipendiarii nostri quam alii etiam ad ipsum castrum declinantes ad ludum de grescha et ad alia luda taxillorum ludunt, propter quod quandoque propter dissensiones inde oriuntur neces et vulnera et alia dampna sequuntur, ideo hujus serie ordinamus quod amodo in dicto castro vel ejus appendiciis nullus, cuiuscumque conditionis existat, audeat ludere a grescha vel ad aliquod quodecumque ludum taxillorum, nisi in aliquo loco per gubernatorem Callari qui nunc est vel erit pro tempore ordinando, et qui contra fecerit de die incurrat penam V solidorum, de nocte vero X solidorum, de qua pena due partes nostro castri Callari vicario et tertia pars acusatori absque spe venie adquirantur; et ut nemo de hiis ignorantiam valeat allegari, hanc ordinationem nostram in dicto castro solenniter precipimus publicari. Ceterum, cum locus qui designabitur ad ludendum, nuncupetur tafuraria, sit necessarium per aliquem custodiri, nos, attentis serviciis per vos fidelem portarum nostrum Raymundum Sauarresii prompto animo nobis impensis in insula supradicta, custodiad sive officium ipsius tafurarie, dum vixeritis, tenore presentis dicimus concedendum, sic quod vos vel substitutus vester, quamdiu vixeritis, et non aliis, dictam tafurariam dicti castri et appendiciorum ejus habeatis, tenendo tabularia et taxillos ludentibus in eadem, et habeatis et recipiatis ab eis, prout in aliis tafurariis est haberi et recipi assuetum. Mandantes dictis gubernatori et vicario et aliis universis et singulis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quatenus hanc nostram ordinationem et concessionem firmas habeant, teneant et obseruent et ab aliis faciant inviolabiliter observari et non contraveniant nec aliquem contravenire permitant quavis causa. In cuius rei testimonium etc.

CCLXXV.—[*Inductio in possessionem bonorum cuiusdam debitoris, facta quasi per modum debiti declarati in favore creditoris.*]

Petrus etc., fideli nostro baiulo etc., salutem etc. Cum nos ex?.....⁶⁸ justitia ad instantiam talis reputaverimus verum contumacem talem, eo quod legitime citatus comparere tenuit coram nobis seu nostro vicecamellario pro quadam causa quam habet cum dicto tali ratione talis pecunie quantitatis per dictum .t. sibi petite, properea vobis dicimus, comittimus et mandamus quatenus, visis presentibus, eundem .t. in possessionem bonorum dicti .t. valentium usque ad dictam quantitatem dictarum tot librarum pro primo decreto et quasi per modum debiti de-

y desgastado, habiendo llegado incluso a desaparecer letras. Esto, unido a la circunstancia indicada en las dos notas anteriores —fórmulas CCLX y CCLXXI— hace que algunas palabras sólo puedan transcribirse como dudosas y que otras, pocas, no puedan leerse.

68 Illegibles unas cinco o seis letras, por las causas antedichas: *ex certa?*

clarati inducatis, inductumque manuteneatis viriliter et deffendatis, donec per dictum .t. satisfactum fuerit eidem tali in sumptibus circa littem et aliter factis et fiendis, purgando ejus contumaciam, et alias circa dictam littem fecerit quod jus et ratio postulant et requirunt. Et in hoc quod ex justitie debito, ut predicitur, providemus, difficultatem vel dilationem aliquam nullatenus apponatis. Datum [etc.].

CCLXXVI.—*Prohemium super tafuraria immittenda in loco non assueto.*

Laudabilis ille videtur princeps existere qui viam parat in subditos, ut inter eos scandalum conquescat. Hinc est quod cum, pretextu inhibitionum que per officiales nostros in tali loco pluries facta fuere ne aliquis palam vcl oculte in ipso loco luderet ad ludum de la gresca, certam inde eis penam impingendo, quam plurima inter aliquos, qui laxatis abenis clamdestine contra dictas inihibitiones luserunt ad dictum ludum, fuerint scandala subsequta, ideo volentes dare locum quod damna que sequuntur inter clam ludentes dictum ludum penitus extingantur, sic, tenore presentis ducimus providendum quod amodo liceat cuicunque absque alicujus pene incursu, etc.

CCLXXVII.—[*Supplicatio pro parte Regis facta religiosis ordinis B. Augustini in favore cuiusdam fratris professoris mendaciter inculpati, ut habeant illum excusatum et concedant ei cathedram Barchinone.*]

Petrus etc., veneralilibus et religiosis viris Generali futuro ordinis beati Augustini, nec non et capitulo generali ac diffinitoribus ipsius capituli in proximo venturo festo Pentecostes celebrando in tali loco, salutem et sinceram in domino caritatem. Exigit sacra vestra religio ut illos ex fratribus nostris, quorum? ⁶⁹ meritis commendandis illustres Reges et principes orbis terre speciali prosequuntur affectu, vos tractari benivole et in visceribus caritatis pre ceteris gerere debeatis. Dudem siquidem, auribus nostris deducto quod quidam, in reprobum sensum dati, diversa crimina et deffectus religioso et dilecto nostro ffratri Petro de Curtibus ⁷⁰ in sana pagina nunc professori et prior[i] talis loci imposuerant, nos sedule cogitantes nostro expedire culmini ut de predictis contra ipsum denunciatis sciremus ad plurimum facti veritatem, tandem per talem cum exacta diligentia de eisdem fecimus inquire, qua inquisitione perfecta habuimus tam ab ipso quam a diversis de nostro consilio doctoribus et in jure peritis veridicam relationem quod idem ⁷¹ frater de predictis contra ipsum denunciatis fuerat reperitus insons et penitus sine culpa, nosque, audita relatione prefata, certi-

⁶⁹ La palabra *quorum*, dudosa, por estar casi borrada.

⁷⁰ O *Turribus*.

⁷¹ Palabra enmendada. Podría ser también *dictus*.

ficati veridice de ejus laudabili vita et conversatione honestate ac scientia profunditate, ipsum motu proprio in domesticum et familiarem nostrum duximus admitendum; ceterum Summo Pontifici per nostras litteras supplicavimus ut ipsum tanquam benemeritum ad gradum magisterii nostri honoris intuitu admittere dignaretur, quibus supplicationibus nostris idem dominus Papa annuit favorabiliter et benigne. Idcirco cum, attento pie devotionis effectu quem illustres progenitores nostri clare memorie ad ipsum ordinem habuerunt quemque nos illorum laudabiles semitas immitantes votis ardentius gerimus, non immerito confidamus quod illos ad quos aficimur, eorum meritis exigentibus, curabitis in statu debito conservare, vos omnes et singulos affectuose rogamus quatenus, predictum talem de predictis mendaciter acusatum habentes penitus excusatum, habeatis ipsum honore nostri perpensiis et ex corde recommandatum tanquam domesticum et familiarem nostrum, providendo sibi de cathedra Barchinone pro anno proxime venturo, et nichilominus, ipso finito capitulo ejusque statu remanente prorsus intacto, ipsum ad omnes alios gradus et honores dicti ordinis admitatis; quoniam in hoc satisfiet votis nostris et proinde tenebimur dictum ordinem et fratres ipsius nostris prosequi gratia et favore. Datum etc.

CCLXXVIII.—[*Varia proemia formularum.*] ⁷²

Petrus etc. Humilis supplicatio pro parte t. oblata continebat quod talis etc. Verum si predicta veritate fulciantur, sint perniciosa exemplo, vobis dicimus etc.

Petrus etc. Talis coram nobis ex posuit quod talis tenetur sibi in tot etc., quare nobis humiliiter supplicatum ut in predictis deberemus congruum justitie remedium impertiri. Pro tanto vobis dicimus etc.

Petrus etc. Suplex petitio nobis reverenter porrecta per talem continebat quod talis etc. Quare, justit[ie] remedium implorato, vobis dicimus et mandamus etc.

Petrus etc. Humilis supplicationis pro parte talis nobis reverenter oblate series continebat quod talis etc.; quare fuit nobis humiliiter supplicatum pro parte dicti talis sibi? de oportune justitie remedio super predictis impertiri. Nos igitur, ejus supplicationi benigne inclinati, vobis dicimus etc.

⁷² Encabezando los folios 145, 146 y 147 r. aparecen las palabras, *Nominatiu*, *Genetiu*, *Datiu*, *Acusatiu* y *Ablatiu*.

CCLXXIX.—[*Protectio, comanda, custodia et guidaticum speciale.*]

Johannes etc., dilectis et fidelibus etc. Per humilen supplicationem pro parte talis coram nobis reverenter oblatam fuit nobis clamose demonstratum quod, eo quia talis, pretextu tali, ratione et pro qua ratione lis seu questio ducitur inter ipsum et tales, dicti tales contra dictum talem graves minas in maximum dampnum et periculum dicti talis nostreque magestatis ac ulcionis regie contemptum, quod pro molesto gerimus, intulerunt, et quod pejus est non cessant, ut asseritur, cum ipse talis ausus est petere jus suum aliquo modo, in ipsum talem mortem diabolico animo cominari, quamobrem per dictum talem continue suppliciter insistentem ulcionis ac defensionis nostre presidio ac nobis humiliiter postulato, nos considerantes quod, licet generaliter prefatus talis et alii homines Cathalonie sint constituti sub pace et treuga et per consequens sub nostre defensionis clipeo sint et esse debent tota-liter securi, attamen, quia plus timere solent que specialiter injunguntur quam que generaliter imperantur, et ut malignantes a suis pravis conatibus si non Dei timore saltem pene formidine penitus arceantur, ponentes, recipientes et constituentes memoratum talem et eorum bona sub nostris protectione, custodia et comanda et guidatico speciali, vobis et cuilibet vestrum dicimus et mandamus firmiter et expresse sub ire indignationis nostre incursu quatenus voce preconia ac etiam, si necesse fuerit, per vestras litteras ex parte nostra publice et aliter intimetis dictis talibus, sive sint homines de paratico aut cives honorati, sive non, ne dicto tali inferant seu inferri presumant, vel consentiant, nec oppem, assensum, operam vel consilium prebeant in aliquibus injuriis aut offendis eidem tali fiendis seu inferendis, aut aliter contra presentes veniant aut faciant venire seu facere palam vel occulte presumant seu permittant, sub pena mortis muralis et etiam sub pena mille librarum nostro erario absque spe venie adquirendarum, quas, casu quo contra facerent, se noverint incurrisse, etiam decapitationis quo ad dictos homines de paratico cives honoratos, et suspensionis per collum taliter ut moriantur quo ad alias; quas quidem penas nunc pro tunc et e converso in predictos omnes et singulos, ut premititur, delinquentes inflingimus et tenore presentium decernimus inflingendas. Mandamus itaque vobis quod, ultra dictarum penarum inflictionem, contra delinquentes et quemlibet ipsorum et bona eorum, si casus evenerit, procedatis juxta dispositionem juris communis et usaticos Barchinone et constitutiones Cathalonie generales dicentes quod eisdem casibus dictos talis penas predictas censeantur incidisse quas quicunque alii contra hujusmodi venientes aut facientes, ut prefertur, incident ipso facto, ut utrinque equalitas observetur. Per predicta autem nolumus nec intendimus prejudicare in aliquo juri predictorum, quinimo uterque ipsorum uti valeant legitimum jure, si quid habent aut eis pertinet in predictis de quibus lingatur. Tollentes

vobis dictis officialibus et unicuique vestrum, ad cautelam, potestatem omnimodam contrarium faciendi et volentes ac decernentes irritum et inane, si quid, quod non credimus, a quoquam in contrarium contigeret attemptari. Datum etc.

CCLXXX.—[*Admissio cujusdam ad familiarem et domesticum regium cum privilegiis propter id ipsi inherentibus.*]

Nos Petrus etc. Ad quorundam familiarium et domesticorum nostrorum humiles intercessus tenore presentis vos, talem, in familiarem et domesticum nostrum admittimus aliorumque familiarium et domesticorum nostrorum conditio ⁷³ aggregamus, volentes, concedentes et declarantes ut omnibus et singulis honoribus, gratiis, privilegiis, favoribus, prerogativis, immunitatibus et libertatibus ubilibet, tam in deferendis ense et armis aliis quibuscumque prohibitis de die pariter et de nocte cum lumine et sine lumine per totam terram et dominationem nostram, tam citra quam ultra mare, cum tot vobis concomitantibus vel non concomitantibus, conjuctim vel separatim, quos semel vel pluries duxeritis eligendos, esto etiam quod vos seu dicti pro vobis arma portantes fueritis tonsurati, quam aliter, gaudetis et gaudere possitis quibus gaudent et gaudere possunt et debent ceteri et domestici et familiares nostri, quibuscumque ordinationibus, statutis, bannis, prohibitionibus seu revocationibus quantumcumque fortioribus factis vel de cetero fiendis, tam per nos quam per nostrum primogenitum aut procuratores nostros vel eorum locatenentes, quam per consiliarios, juratos, pacarios aut alios quarumque civitatum vel villarum a quibus hanc concessionis gratiam penitus excludimus et excipimus obsistentibus nullo modo; volentes etiam quod hujusmodi concessio nullatenus revocetur, dum vixeritis, et ubi revocatio ulla per inadvertiam vel aliter generaliter vel personaliter inde fieret, pro nulla, vacua et irrita penitus habeatur. Et quia frequenter propter agendorum varietatem ad diversas partes et loca vos declinare contingit, omnibus et singulis officialibus et subditis nostris districtius precipiendo mandamus, universos et singulos amicos et devotos nostros affectuose requirimus et rogamus quatenus vos et omnia bona vestra ac etiam famulos vestros tractent favorabiliter et benigne nostro intuitu et honore, vosque manuteneant et defendant eundo, stando, morando ac etiam redeundo, nec permitant vobis in persona vel bonis fieri vel inferri injuriam, violenciam, offensam, molestiam vel jacturam, vosque tanquam familiares et domesticos nostros prosequantur ubilibet honoribus congruis et favoribus opportunitis, a quorumvis gravaminum illationibus quitium preservare procurent, si nobis amici et devoti placere ac officiales et subditi nostri iram et indignationem nostram ac penam quingentorum morbatinorum aur-

ab ipsis et eorum bo[nis?, si?] contrafecerint?⁷⁴, irremisibiliter habendorum cupiunt evitare. Mandantes procuratori regio ac jurium fiscalium exactoribus in regno Majoricensi et in aliis etiam locis dominacionis nostre quatenus illico, cum pro parte nostri requisiti fuerint, executionem faciant pro dicta pena seu penis predictis comissis realiter et de facto contra illos qui temerarie adversus predicta aliquid duxerint attemptandum, ad cuius pene seu penarum executionem ipse procurator regius et alii predicti officiales cui predicta pertineant et expectent diligenter intendant, aliis negotiis pretermissis; scituri quod, si in hiis fuerint negligentes et opportuerit vos ad nostram curiam pro predictis habere regressum, pena jam dicta et omnes etiam expense ac dampna inde sustinenda imputarentur merito eorumdem culpa a quibus et eorum bonis exigerentur totaliter, prout jus et ratio suaderet. In cuius rei testimonium etc.

* * *

Sequentia nuncio: pridem, scilicet, anno presenti millesimo CCC° LXXX° secundo in mense augusti, ffrater Berengarius Ros, monachus monasterii de Crudiliis ordinis sancti Benedicti, Gerundensis diocesis, fecit cuidam endemoniato existenti in capella sancte Anne prope locum de Barbarano archiepiscopatus Terrachonensis et vocatur diabolus ille Columbet.

CCLXXXI.—[*Littera super negotio schismatis.*]

Reverende pater et domine: Salutatione premissa in domino Jhesu Christo, litteras vestras nos grataanter noveritis recepisse, in quibus nobis notificare curastis quod relatione cujusdam monachi de Benifaçano didiscistis quod nos nostrique conventus tenemus partem Pape Romani vel sumus indifferentes super quo, ut pretenditis, compatimini nobis atque condoletis, cum in tali oppinione et in tanto periculo dampnationis versemur; et ultra hoc asseritis quod, si scivissetis quando nos dudum eramus Valencie, quod venissetis ad nos et clarissimis rationibus hostendissetis nobis Papam Romanum non ese Papam set illum alium scilicet Clementem, sicut pluribus aliis qui ad vos venerunt ostendistis, ita quod vix recessit a vobis aliquis nisi illuminatus, ita quod assercioni vestre non poterant contradicere tanquam manifestissime veritati, prout hec et alia in vestris predictis litteris latius continentur. Super quibus vestre veritati duximus hiis presentibus respondendum: Quod, quamquam minime dubitemus verba vestra nobis ut predictur intimata de bono et simplici corde vestro procedere, de quo non modicum regratiamur vobis, cum affectum antique caritatis et amicitie inter nos actenus mixtuo habite studetis sinceriter exercere, verumta-

74 Recuérdese lo dicho anteriormente (fórm. CCLXXIV).

men, pater reverende, quia tenemur divino precepto caritatis mutuas reddere, ideo, saluti anime vestre vestrique conventus atque seca-
cium vestrorum intimo compatientes animo, de prudentia vestra cogi-
mur non modicum admirari, cum in tam magno et vasto palago⁷⁵ absque
remige presumpseritis navigare determinando et eligendo vobis portum
in quo an ibi sit salus merito dubitatur; nam res istius scismatis maxi-
ma est et totius christianitatis corpus respicit atque tangit, et temera-
rium nimis est in tanta re assensu privato ferre sententiam et id te-
mtere sine censura dirimere de quo videmus viros maximos dubitare.
Conciliais itaque procul dubio ista dissensio est, non alio particulari
judicio citra concilium dirimenda; unum igitur e duobus reverenter
loquendo a vobis erat primitus eligendum: vel quod expectaretur gene-
rale consilium, vel saltem determinatio vestri principis in cuius regno
et territorio habitatis; et quamvis determinatio dicti principis quam de
proximo intendit facere in suis curiis generalibus, in quibus adherunt
tria bratxia generalis sui regni, modicum faciat ad decisionem dicti scis-
matis, cum ad ipsum nec ad generale sui regni pertineat diffinire negotium
quod, ut predicitur, tangit totum mundum, tamen de vigore in regnis suis
ipse faciet observari, ita quod nullus post suam determinationem in suo
dominio erit ausus oppinionem alteram observare, quinymo per exilium et
relegationem contraria observantes expellentur de regnis et terris suis.
Quid igitur facietis, pater reverende, rogamus vos, si princeps vester
cum suis generalibus curiis determinet se oppositum, vel si celebretur
generale consilium ad cuius determinationem negotium pertinet ad op-
positam partem se determinent; et numquid contra determinationes istas
tenebitis oppinionem vestram? et nonne oportebit vos dimitere primum
locum in quo nunc gloriamini ut videtur et tenere locum ultimum cum
rubore? et numquid bonum fuisset indifferencia in tam ambiguo negotio
a principio tenuisse quam negotium tam dubium temere diffinire? Et
quia dicitis ad fortificandum oppinionem vestram quod clarissimis ra-
tionibus ostendetis nobis quod Papa Romanus non est Papa, dicimus
quod validioribus et evidentioribus rationibus ostenderetur vobis^{75 bis} et
secacibus vestris quod Clemens vester non est Papa, ymo dicitur, est anti-
christus; et an necitis Ecclesiam fidelium esse solim unam, cuius caput
est Christus unicus Dei filius secundum deitatem genitus, non factus se-
cundum carnem, autem de virgine procreatus, in cuius vicarium et in
cuius Ecclesie caput unum jam dictum cardinales Pontificem elegerunt,
cuius autem vicarius erit iste novus electus aut cuius Ecclesie caput?
Deo enim⁷⁶, qui unus est, displicant qui ab unitate discedunt, unde cre-
ditur a principio in creatione mundi secunde diei operibus eulogium
substraxisse qui mox benedictionem tertia die repetivit. Non est ergo se-

⁷⁵ Pelago.

^{75 bis} Tachadas, quod pappa Romanus non est pappa, immo.

⁷⁶ Tachadas, cuius ecclesia.

cundus iste vicarius Christo gratus, qui exemplum prebens nobis, ut quemadmodum ipse fecit ita et nos faceremus, soli Petro pascendas oves suas comitens eum suum vicarium constituit et relinquit; nunc autem domini cardinales Ecclesiam, que unum est corpus, faciendo bicipitem, in monstrum orrendum atque tatteredum converterunt. Cavete igitur ne roia illa iniqua temptantes det vobis Deus in reprobum sensum ut, dum spiritualia quasi terrena tractantes, audiatis sonitum spiritus vehementis qui suo turbine vos cum hoc mosterosissimo mostro subruat et confundat. Nec latet orbem et cunctos Christi fideles cur de isto vestro gehenensi electione dicti domini cardinales duxerint faciendam, et hoc non oportet exprimere cum sit fere omnibus per se notum, propter quod, vestra persuasione que ex pio animo credimus procedere non obstante, agemus indifferenter ad neutram predictorum partium nos declinantes donec aliud spirante domino declararetur, nec terret nos exemplum allegatum de Naas qui cominabatur viris Sabeitis nolens cum eis federari, nisi erueret eis oculos dextros, quoniam si comminatus fuit, tamen non eruit, nec per consequens eruet, quia dominus Ihesu Christus qui per Samuelem intelligitur, eripiet nos, sicut deffendit per profetam suum Sabeitas Amonitarum, nec eorum principis Naas volumus inire fedus quia crastina die, id est in proximo, erit nobis salus cum intabuerit sol, sicut ibidem scribitur per solem Christum, qui est sol justitie, cum? intabuerit id est pietate suo oculo Ecclesiam suam respexerit et ab isto s[ch]ismate eam purgaverit et ad unitatem et pacem eam induxerit, erit nobis salus. Interim autem magis nos tutos reputamus indifferentes nos habentes quam sine declaratione debita ad aliquam dictarum partium improvide declinemus, nam fides catholica nil recipit ambiguum nec obscurum continet, set in lumine ambulat cum in mente prime inherat veritati.

[CCLXXXII.—[*Guidaticum et asecuramentum.*]]

